



20.356

22362

DE
LEGE NATURALI
POSITIONES
IN USUM AUDITORII
VINDOBONENSIS.



VIENNAE AUSTRIAE,
E TYPOGRAPHEO KALIWODIANO.

ANNO M. DCC. LXVII.

A-363358



Comparauit

P. STEPHANUS WIEST ordinem Cisterciensium Professus in Alterspach, Philosophiae et SS. Theologiae Doctor, Sereniss. Principis et Electoris Palatino-Bauarici Consiliarius Eccles. Actualis, Theologiae dogmaticae, Patrologiae, et Historiae litterariae Theologiae in Alma Catholica Vniuersitate Ingolstadtensi Professor publicus ordinarius.

178

DS-2020-4152



SERIES CAPITUM.

CAPUT I. De natura, statuque hominum mo- rali. - - - - -	1
CAPUT II. De Obligatione, Lege, & Jure generatim, ac singulatim naturali. - -	11
CAPUT III. De legum naturalium principis, ac proprietatibus. - - - - -	20
CAPUT IV. De juribus hominum universali- bus, & quod inde fluit actionum moralium discrimine. - - - - -	28
CAPUT V. De varia actionum moralitate, im- putatione, ac conscientia. - - - -	38
CAPUT VI. De Jurisprudentiæ naturalis partibus, atque usu. - - - - -	58
CAPUT VII. De ortu & progressu Jurispru- dentiæ naturalis. - - - - -	74
CAPUT VIII. De officiis erga Deum, - -	84
CAPUT IX. De officiis erga se ipsum. - -	90
CAPUT X. De officiis erga alios humanita- tis seu imperfectis. * * * * *	96
CAPUT XI. De officiis erga alios absolutis perfectis. - - - - -	99
CAPUT XII. De officiis circa significationem mentis. - - - - -	104

CA.



CAPUT XIII. De dominio, ejusque adquiren- di modo simpliciter originario, sive occu- patione. - - - -	110
CAPUT XIV. De effectibus domini, seu de juribus & obligationibus, quæ ex dominio nascuntur, & accessione. - - -	116
CAPUT XV. De Pactis. - - -	121
CAPUT XVI. De possessionis jure & dominio putativo, seu interimistico. - - -	128
CAPUT XVII. De Pactis speciatim beneficiis.	135
CAPUT XVIII. De contractibus permutatoriis generatim, & de rerum pretio. - -	141
CAPUT XIX. De variis permutationum for- mis. - - - -	146
CAPUT XX. De jurejurando, aliisque mo- dis, quibus pacta confirmantur. - -	154
CAPUT XXI. De modis, quibus obligationes & contractus cessant. - - - -	160
CAPUT XXII. De Legum ac Pactorum in- terpretatione. - - - -	164
CAPUT XXIII. De remediis, quibus jus su- um persequi liceat in statu naturali. - -	170
CAPUT XXIV. De societate generatim. - -	184
CAPUT XXV. De societate conjugali. - -	193
CAPUT XXVI. De societate parentum & li- berorum. - - - -	202
CAPUT XXVII. De societate herili. - -	209
CAPUT XXVIII. De domo, seu familia, & successionis jure. - - - -	215



C A P U T I.

De Natura Statuque hominum morali.

I.

Natura inde dicta est, quod nasci aliquid faciat*, & recte definitur, quod sit, principium actuosum entis internum.

* Servius ad Virgil. Georg. II. 49.

II. Quod non est, producere aliquid non potest; igitur est manifestum quamdam ab æterno extitisse naturam.

III. Hæc æterna natura, si fortuita dicatur & contingens, rationem sufficientem in se ipsa non habet, ex quo consequitur, ut non tantum æternæ, sed etiam necessariæ, atque independentis naturæ existentia admittenda sit.

IV. Natura necessario & per se existens neque mutari, neque interire potest, adeoque infinita est, ac simplex, una, immensa, interminata, & omnia, quæ eidem inesse possunt, absolute sine ullo gradu simul possidens.

V. Nemo non videt mundum esse ens compositum, ac mutabile; igitur caret proprietatibus primæ omnium naturæ.

VI. Sed nec primæva mundi stamina hanc sibi vindicant dignitatem. Semper enim aliqua indigebant effectrice causa, ut his po-

A

tius,



tius, quam tot aliis possibilibus concursioni-
bus inter se cohærescerent, atque hanc cau-
sam primam totius universi DEUM nomi-
namus.

VII. Id ipsum ab entis infiniti possibilitate,
a pulchritudine & ordine hujus universi, ab
unanimi omnium populorum consensu, &
tandem a summa hujus sententiæ utilitate aliis
demonstrari posse visum est.

VIII. Ex his patet, cur Deus, qui omnia
nasci fecit, *natura naturans*, & mundus, qui
vim sibi a Deo tributam innumeris exserit mo-
dis, *natura naturata* nominetur.

IX. Ob eandem causam vires motrices cu-
jusvis entis existentis *naturæ* vocantur *particu-
lares*, quæ, quum a tota essentia separari ne-
queant nisi cogitatione, ideo etiam *rei essentiæ*
naturæ nomen tributum est.

X. Porro *Naturale* est, quidquid vel ex en-
tis cujusdam notione seu conceptu primo, vel
ex ejus essentia actu existente, vel ex princi-
pio rei cujusdam actuoso proficiscitur: ab it-
que in *absolutum* & *hypotheticum*, *essentiale* & non
essentiale, sive *naturale in specie*.

XI. Quæcunque homini competunt, ea
partim ex notione *animalis*, partim ex notione
rationalis declarari atque intelligi possunt: in
his igitur posita est hominis essentia, atque
natura.

XII. Rursus animalis essentia duas involvit
partes corpus atque animam. Illud ex con-
cep-



ceptu machinæ mechanico - pyrobolico - hydraulicæ sufficienter explicatur.

XIII. Sanum corpus dicitur, si singula ejus membra nativis functionibus suis efficiendis apta sint, secus est morbosum; insunt ergo corporis motibus suæ *Regulæ*, sive *Repræsentationes determinationum rationi conformium*.

XIV. Si plures ad idem præstandum tendunt, concordant, secus discordant; *variorum concordia est PERFECTIO, discordia IMPERFECTIO*; utraque est *essentialis, naturalis, accidentalis, simplex, composita, privativa & positiva*. Inde & de corporis perfectione judicandum.

XV. Quidquid in ente reperitur, vel est cum eo consentiens, vel non est; illud adfert perfectionem, *bonum*, hoc imperfectionem, *malum*; medium igitur inter utrumque statuerre absurdum est.

XVI. Anima generatim est *ens sui rerumque extra se positarum conscium*, & teste experientia, sentit, imaginatur, ac fingit.

XVII. Sensus hisce subjacet *Regulis*, ut si *res externæ non agant in sensuum instrumenta*, nunquam oriri possint *Ideæ seu perceptiones*; ac contra, ut *positæ in organis sensoriiis*, nullo morbo laborantibus, *mutationi necessario respondeat Idea sensualis*.

XVIII. Phantasia ad eum se adtemperat modum, ut *præsentibus rerum imaginibus quibuscunque aliæ vel ante simul haustæ, vel iisdem similes integræ aut pro parte, sive in vigiliis, sive in somniis recurrere possint*.



XIX. Ut adjuvetur imaginatio, oportet ideam reproducendam *clare, recenter*, aut *sæpius* percipere, aliam perceptionem eidem *so-*
ciam adungere, sensationem *contrariam fortem*
vitare, denique ad illam non nisi post habitas
alterius generis ideas debiliores *reverti*.

XX. Observamus præterea in anima nisum,
atque conatum, quo alias perceptiones sensua-
les reproducere, alias vero abigere molitur;
si prius fiat, anima dicitur *appetere*, & si po-
sterius *aversari*; habet igitur appetendi, &
aversandi facultatem sensitivam.

XXI. Est autem hæc appetitus regula, ut
simul ac objecta species cujusquam est, appetat om-
ne animal, quod bonum sibi futurum cogitat, *averseturque*
contraria.

XXII. Sæpe tamen omne animal citra co-
gitationem ad aliquid adipiscendum aut pro-
pulsandum stimulat. Insunt igitur in illo
quædam propensiones seu *stimuli naturales*, &
prima naturæ, quæ sensum internum, dein co-
gitationem boni, vel mali, & demum appeti-
tum, vel aversationem progignunt.

XXIII. Bonos esse hosce instinctus nulla du-
bitatio est, siquidem animantium essentia, ac
conservationi congruunt, sed ab inclinacioni-
bus adventitiis, quæque ex sensuum externo-
rum perceptionibus oriuntur, probe distin-
gui debent.

XXIV. Quoties appetitus, vel aversatio
sensitiva ita augentur, ut vel unius, vel alte-
rius



rius detur prædominium, anima dicitur subesse affectui seu perturbationi.

XXV. Si vehementiores hujusmodi commotiones fiant in appetendo, affectus sunt *grati*, si in averfando, *ingrati*, illi ad lætitiã & cupiditatem, hi ad *triftitiã*, & terrorem reducuntur.

XXVI. Quando anima in rem aliquam neque propendet, neque ab illa abhorret, dicitur esse *indifferens*; fed fi pares aliquid optandi, aut fugiendi rationes videantur, est in *æquilibrio*.

XXXII. Manifestant sæpe animalia habitas perceptiones, imaginationes, appetitus & affectus, & eatenus iis tribuitur *loquela*. Omnes hæ facultates utpote brutis communes vocantur *inferiores*, eas excipiunt facultates hominum propriæ *superiores* adpellatæ.

XXVIII. Præftant nimirum homines brutis, quod non modo res, quæ sub sensu cadunt, fed etiam infensibiles, atque incorporeas sibi repræfentare, & hinc ad illas *attendere*, defuper *reflectere*, & quidnam cum aliis entibus commune habeant, *intelligere* poffint.

XXIX. Sed magis adhuc excellit animæ humanæ dignitas, quod notionum universalium fimilitudines videt, rerum nexum perfpicit, atque ideas diverfas inter fe componit, & harum facultatum, id est *ingenii*, *rationis*, & *judicii* usu rerum inter fe repugnantiam feu *falfitatem*, & a repugnantia vacuitatem, verbo *veritatem* deprehendit.



XXX. Qui veritatis, aut falsitatis rationem sufficientem reddere potest, is cognitionem certam habet, atque evidentem, qui non potest, ejus cognitio incerta est, & opinio dicitur; cognitionis absentia est ignorantia, & ideæ ab objecto discrepantia, error.

XXXI. Facultas appetendi, & averfandi, si ab intellectu, ratione & judicio determinari potest, voluntas est & noluntas, seu declinatio; velle igitur, aut nolle in eo non concipitur, qui caret usu rationis.

XXXII. Ratio sufficiens volendi aut nolendi dicitur motivum, seu momentum, itaque non nisi boni convenientis, aut disconvenientis mali judicia, volitionis, seu nolitionis sunt momenta.

XXXIII. Errant sæpe homines in judicando, quare bona tantum opinata ad vera mala, mala tantum opinata ad vera bona spectant: igitur etiam motiva sunt vel *genuine*, vel *spuria*.

XXXIV. Bonum minus quod est majoris impedimentum, adfert imperfectionem, & malum minus, quod majus excludit, causa est perfectionis, tunc igitur bonum minus est *comparative malum*, & malum minus *comparative bonum*.

XXXV. Quoniam perfectio est concordia plurium in uno, consequens est, ut posita appetitus sensitivi cum rationali, aut volitionum vel nolitionum ipsarum inter se contrarietate, exsulet perfectio.

XXXVI.



XXXVI. Fiunt in homine plurimæ mutationes, quæ si in illo ipso rationem habent sufficientem, *actiones*, si in alio *perpeffiones* adpellantur. Sunt vero actiones vel in anima, vel in corpore, vel in utroque simul, id est *internæ*, *ext rna*, aut *mixtæ*.

XXXVII. POSSIBILE homini generatim est, quod nullam in eo ponit repugnantiam, ergo physice possibile, quod viribus hominis haud repugnat. Inde patet, quid physice impossibile sit. Cujus contrarium est impossibile, id est *necessarium*, quod vero nec impossibile est nec necessarium, est *contingens*. In specie *subjective contingens* dicitur, quod ita possibile est, ut etiam ejus oppositum respectu virium nostrarum fieri possit.

XXXVIII. Impossibile, & necessarium vel *simpliciter* tale est, vel *hypothetice*, ac cum *adjunctione*, si quid aliud adipisci, aut effugere velimus. Necessitas simplex vel *interior* est, vel *exterior*, seu *coactio physica*; utraque excludit contingentiam, quæ tamen cum necessitate hypothetica perdurat.

XXXIX. PRINCIPIUM est id, quod rationem alterius in se continet, & ita dividitur, ut sit vel *possibilitatis*, vel *existentiæ*, vel *cognitionis*, dein *internum*, *externum*, *efficiens*, & *removens*.

XL. SPONTANEITAS late accepta est facultas entis per principium efficiens internum aliquid agendi sine externa quadam vi, stricte ve-



ro spontaneitas, seu *nudum arbitrium*, est quæ ad actiones *physice* & *subjective contingentes* competit.

XLII. Quoniam fiunt actiones in ipso homine, gaudet hic primum spontaneitate latius sumpta, sed quia in agendo attendere & reflectere, vel utrumque omittere tuto potest, gaudet etiam arbitrio.

XLIII. Quemadmodum ad voluntatem ratio, ita ad rationem attentio requiritur, sed attentionis actus arbitrarii sunt, ergo & voluntatis.

XLIII. Quare nulla in voluntatem cadit interna necessitas, nec coactio physica, sed quæ coacta dicitur voluntas coactionem patitur tantum hypotheticam, & cum adjunctione.

XLIV. Arbitrium, quod rationis ope determinari potest, liberum dicitur, seu LIBERTAS; homo igitur, qui rationis usum habet, libertate est præditus.

XLV. Etsi vero intellectus rebus evidentibus assentiri, voluntas vero generatim in id inclinare, quod videtur bonum, aut fugere, quod videtur malum, debeat; salva tamen est facultas rei certitudinem penitus examinandi, tum de ejus bonitate, aut malitia peculiariter consultandi, & se se interim cohibendi, in quo libertas sita est.

XLVI. Inde fluunt novæ actionum divisiones; aliæ enim sunt *animales*, hominis, aliæ *humanæ*. Illæ iterum in *nude arbitrarias*, &



necessarias, hæ in intellectuales, voluntarias, liberas aut mixtas abeunt. Quare intellectus, voluntas & libertas actionum humanarum sunt principia.

XLVII. Actio, quæ ab ingenti motorum exsuperantia proficiscitur, *uironea est sive lubens, & plane voluntaria, secus est invita; quod si minis extorquetur, invita ob violentiam secundum quid, si ab errante, aut ignaro fuerit suscepta, invita per errorem audit.*

XLVIII. In omni actione libera primo quis se ad agendum determinat, dein actionem exsequitur, quam prætermittere etiam potest, ideo libertas datur *determinationis, executionis, & contradictionis; datur & libera cessatio, seu non factum.*

XLIX. Recensitæ hæctenus humanæ dotes inutiles forent sine aliorum auxilio, quare indita est cuique socialitatis appetitio, quam summopere adjuvat facultas *Sermonis, seu cogitata sua sonis articulatis aliisve signis clare, & distincte manifestandi.*

L. Ex dictis apparet tripliciter considerari hominis naturam; I. ut est notio animalis rationalis, II. ut essentia ejusdem existens, III. ut est vis corporis ac animæ, quæ mutationum rationem continet. Atque hæ acceptiones etiam τω naturali applicandæ sunt.

LI. Improperie vero naturæ vocabulum pro ingenio, indole, consuetudine, temperamento, generatione, & *nativitate usurpatur; hæc enim omnia*



nia nos ad aliquid faciendum proclives reddunt.

LII. Verum hæ proclivitates non ita comparatæ sunt, ut homini libertatem auferant. Potest enim principiis obstare, melius expendere agendi momenta & inclinationes malas in bonas commutare.

LIII. Ad id attendere neglexerunt non pauci, qui propriam hominis naturam, quæ in ratione posita est, cum propensionibus contractis confundere, & falso ex fundamento, quæ homini naturalia sint, deducere non dubitarunt.

LIV. STATUS est *complexus determinationum, quæ de re quadam ut existentes enuntiarî possunt*; & primo in *naturalem*, & *præternaturalem*, seu *adventitium* abit; dein *naturalis est absolutus*, vel *hypotheticus*, tum *essentialis*, & non *essentialis*, seu *naturalis in specie*; uterque vero vel *internus*, vel *externus*. Et inde quid & quotuplex sit corporis, animæ & hominis status, colligendum.

LV. Præterea determinaciones, quæ non pendent a libertate, statum *physicum*, quæ vero ad actiones liberas, seu MORES referuntur, statum *moralem* constituunt. * Hic iterum *consideratur* vel ut *antecedens* est actiones, vel *consequens*, tum *antecedens*, vel ut *perfectus* in homine rationis compote, vel *imperfectus*. ** in infante aut demente. &c.

CA-

* Cicer. de Fas. init.

** Vid. Exercitation. meam de Nat. statuque hominum morali.



CAPUT II.

De Obligatione, Lege, & Jure generalim, ac singulatim naturali.

LVI. Status animæ humanæ a situ corporis, & organorum constitutione plurimum pendet, mutabilis porro est, finitus atque contingens, & plane diversus a natura Entis Infiniti; cui ratio distinctissima, voluntas liberrima omniumque perfectionum complexus tribuendus est.

LVII. Id, propter quod causa efficiens & intelligens aliquid agit, ut ipsum sit vel fiat, *Finis* dicitur, qui vel *remotus* est, vel *intermedius*, vel *ultimus*. Quod vero rationem continet, cur finis actum consequatur, *media* nominantur.

LVIII. Quum Deus mundi de se fortuiti causa liberrima sit ac sapientissima: fieri non potuit, ut hoc universum adeoque hominem ejusque facultates frustra e nihilo protraheret, & non ut aliquem vel remotissimum finem spectaret.

LIX. Nec difficile est etiam finem ultimum invenire, siquidem tota mundi machina Dei existentiam, æternitatem, infinitionem manifestat, quo fine quum nihil divinæ bonitati convenientius sit, omnes reliqui fines ad huncce veluti extremum scopum referuntur.

LX. Quæcunque hominis actio aliquam mutationem veluti causa effectum producit; quæ



quæ si cum scopo hominis essentiali consentit, bona est, si dissentit, mala.

LXI. Bonitas hæc & malitia rationem sufficientem habet in ipsa actione & ex ejus notis essentialibus, per quas nimirum tanquam talis actio concipitur, intelligi & demonstrari potest, est ergo naturalis atque interna.

LXII. Porro bonitas vel melitia *physica* est, quæ ex actionis *materiali*, id est vi, motu & arbitrio animalibus communi provenit, quæ vero ex actionis *formali*, id est dependentia a libertate oritur; est *moralis*. Neque tamen utraque bonitas vel malitia ita conjunctæ sunt, ut una ab altera nequeat separari.

LXIII. Quæ bonitate vel malitia morali non differunt actiones, eæ sunt moraliter *indifferentes*; tunc ergo vel nulla adest bonitas, vel omnino par; nulla adest, cum sola profertur actionis notio, & a circumstantiis abstracta, ut nondum intelligi possit, an ejus consecutaria quid adimant, vel non adimant de eo, quod per agentis essentiam fieri poterat.

LXIV. Nulla tamen actio libera singularis & in concreto considerata eo sensu est indifferens, ut nec bona sit nec mala; siquidem inter esse & non esse conveniens cum natura, medium quoddam relinquere repugnat.

LXV. Propterea vero indifferentia actionum objectiva, quæ in æquali earum bonitate posita est, non negatur; quid enim vetat plures dari ejusdem rei causas, plura media ad
 eun-



eundem finem obtinendum æque idonea, & hinc æque bona?

LXVI. Nec plus evincunt adversariorum argumenta. Quod enim ajunt: esse actiones liberas, quarum consecutaria ab ente finito prævideri non semper possint, & has esse in concreto indifferentes, id verum non est; quia si ratio bonum vel malum cum actione copulatum perspicere nequeat, etiam actio eatenus libera non est.

LXVII. Corpus quoddam obligare, est, illud vinculis fortiter devincire; quod cum fit; adest vis ligans, vis quæ ligatur, nexus constructio, certa situs & posituræ ratio, & tandem necessitas rei ligatæ imposita ad illum modum & metam hærendi.

LXVIII. Itaque actus, quo vis quædam corporea circumligatur, est *obligatio activa*; necessitas vero tali corpori imposita, motus suos ad determinatum modum attemperandi, *obligatio est passiva*; id secundum quod varia modum æquabilem accipere debent, & propositio eum modum enuntians, *norma vel regula* adpellatur; quare posita obligatione activa, etiam regula ponenda est.

LXIX. Jam facile comprehendimus, nec sine ligamentis obligationem activam, nec sine obligatione activa regulam ab ea pendentem intelligi atque definiri, hæc omnia tamen sine remotioribus ligamentorum causis explicari posse. Regula actionum LEX latissime



dicitur; id porro, quod in Regula generatim, etiam in lege obtinet.

LXX. In actiones animalium arbitrarias nulla cadit necessitas physica; cadit tamen necessitas hypothetica; nam boni ac mali repræsentatio vinculum est, quo facultas appetitiva inferior ad aliquid accipiendum vel repudiandum adstringi potest; ex quo consequitur, ut copulatio elaterum seu stimulorum actionibus arbitrariis, obligationis animalis activæ, Propositio vero, quæ hanc obligationem enunciat, legis animalis essentiam constituent.

LXXI. Si actiones arbitrariæ sint simul liberæ, necessitas hypothetica, quæ in illas cadit, vocatur *moralis*. Igitur obligatio moralis activa est, *connexio veri boni, aut veri mali tanquam momenti cum actione libera*; lex autem moralis, *Propositio moraliter obligatoria*, & obligatio moralis passiva: *Necessitas actiones liberas obligationi morali activæ, legique conformandi*.

LXXII. *Subjectum* obligationis moralis non sunt nisi ii, qui intellectus & voluntatis usu præditi sunt, *objectum* vero actiones tam a necessitate intestina, quam a coactione physica immunes.

LXXIII. Obligatio non est sine momentis, hæc autem in eo consistunt, ut quis boni vel mali nexum cum actione cognoscere possit. Hoc qui efficit, legem *promulgat*; nulla ergo est obligatio aut lex sine promulgatione.



LXXIV. Legis partes duæ sunt: una determinat consecutaria tanquam motiva cum factis connexa; quæ si bona sunt, *præmia*, si mala, *pænæ* latissimo sensu vocantur; altera quid vi hujus vinculi agendum vel omittendum sit enunciat. Prior est legis formale, obligatio, *sanctio*, Posterior materiale, propositio, *edictum*.

LXXV. Qui motiva cum actionibus non connectit, sed alteri significat, ea sibi jam copulata videri, is *consilium* dat, persuadet, adhortatur. Itaque consilium per se non obligat.

LXXVI. Tam obligatio, quam lex in *universalem*, *particularem*, & *singularem*, dein *interiorem*, & *exteriorem* abeunt. Porro obligatio est *invitans*, vel *cogens*, *affirmativa*, vel *negativa*; eique lex *præmians*, vel *puniens*, *imperans*, vel *prohibens* respondet.

LXXVII. Et quoniam motiva crescere ac diminui possunt: ideo obligatio etiam & lex nunc *una* & *simplex* est, nunc *multiplex* & *composita*. Porro nunc *major*, nunc *minor*, nunc *fortis*, nunc *debilis*; quare in obligatione & lege invenitur quantitas, magnitudo, atque mensura.

LXXVIII. Ubi nulla obligatio est, ibi nulla est lex; quoties alicui facere quid vel non facere permittitur, obligationi subjectus non est; igitur non dantur leges permittentes, nisi ita illas nomines, quæ ex pluribus mediis æque bonis unum indeterminatim & disjunctim præscribunt.

LXXIX,



LXXIX. Lex bonum præcipit & malum vetat, ejus ergo scopus est, ut bonum faciendo adipiscamur perfectionem, & malum fugiendo imperfectionem evitemus; quæ vero mala jubent fieri, aut bona omitti, legis nomen nomen non attingunt.

LXXX. Qui convenientiam actionis cum lege pro fine habet, is legem custodit, tunc igitur adesse debet viva legum cognitio; dein conatus efficax ad eas implendas, removenda impedimenta & captandam occasionem.

LXXXI. Contra violat legem, *peccat*, qui id facit quod vetitum, aut, quod præceptum est, omittit; sive ob ignorantiam vincibilem, sive ob defectum voluntatis efficacis, quæ remedia implendæ legis negligit, vel non tollit impedimenta, vel aptam occasionem non arripit, vel plane adversam investigat.

LXXXII. Actionum *Rectitudo* est illarum conformitas cum regulis, & quidem *moralis*, si actiones ad libertatem referantur. Huic opponitur *Peccatum*. Recta igitur est actio, si intellectus & voluntatis adsit consentiens usus, secus est minus recta.

LXXXIII. Actiones rectæ sunt *moraliter Possibiles*; *licitæ* latius; minus rectæ autem *moraliter impossibiles*, *illicitæ*. Moraliter possibiles iterum sunt vel moraliter *necessariæ*, *debitæ*, vel moraliter *contingentes*, *permissæ*, licitæ strictius: utraque hæc possibilitas ratione agentis est *Facultas moralis*.

LXXXIV.



LXXXIV. Omne id, quod convenit, seu bonum est, **JUS** dicitur. Et jam pro *attributo actionis*, jam pro *lege*, jamque pro *facultate morali* usurpatur; tertia vero significatio vel ad *Jus stricte tale*, vel ad *Jus permissivum* seu *libertatem moralem* pertinet.

LXXXV. **Jus stricte tale** oritur ex obligatione & lege aut præceptiva, aut prohibitiva, libertas moralis ex negatione legis, sive ex lege permissiva; igitur omne **Jus** est quodammodo obligationi correlatum, vel in *sensu ajente*, vel in *sensu negante*.

LXXXVI. **Usus Juris**, sive exercitationem facultatis moralis, **OFFICIUM** nominamus; & *rectum* quidem ex **Jure stricte tali**, *medium* ex **Jure permissivo**.

LXXXVII. Si nexus motivorum cum actione cessat, adest *obligationis liberatio*, & *lege solutio*: & quidem vel totius *abrogatio*, vel partis *derogatio*, vel peculiaris personæ *dispensatio*; Itaque ubi separatio motivi ab actione fieri nequit, nec liberationi locus est.

LXXXVIII. Quando duæ leges nec mutatae, nec alias contrariæ, casu & eventu peculiari ita discrepant inter se, ut ambas conservare sit impossibile, oritur legum **COLLISIO**. Et hinc necessaria est *exceptio*, seu determinatio uni legi congrua, alteri vero disconveniens propter collisionem; sic autem institui debet, ut lex fortior debiliori semper præferatur.



LXXXIX. Dividitur lex ratione Legislatoris seu *subjecti* obligantis in *divinam* & *humanam*, ratione *objecti*, in quo versatur, in *naturalem* & *positivam*. Natura omnis a DEO pendet, itaque lex naturalis est etiam divina; positiva vero vel *divina* vel *humana*.

XC. Argumenta, quæ ad demonstrandam legum naturalium existentiam adduci solent, non ejusdem sunt ponderis; qui enim ad communem populorum persuasionem, aut iad ideas innatas provocant, id fumunt, quod in quæstione est. Qui vero ab hominum proclivitate nocendi atque potentia ad existentem normam concludunt, naturæ legem negare potius, quam adserere videntur.

XCI. Melius quidem ratiocinantur, qui ex fine Dei ejusque Jure in homines Divinæ cujusdam regulæ necessitatem & existentiam colligunt; verum regulam hanc esse naturalem propterea non evincunt, siquidem positiva esse posset.

XCII. Testantur alii ratos ordines & regulas mundi physici; nec iis porro mundum moralem carere posse arguunt; dein in medium adferunt naturæ stimulos, qui, quum nobis imponant necessitatem hypotheticam aliquid faciendi vel non faciendi ex ipsa nostra natura fluentem, naturalis legis existentiam satis demonstrant; ast mechanica tantum & animalis est hæc lex, non moralis atque hominum propria.

XCIII.



XCIII. Rem igitur ii conficiunt, qui docent esse momentorum cum actionibus nostris liberis connexiones, hinc esse obligationes & leges morales, quæ, quoniam ex ipsa actionum essentia atque natura ductu rationis intelligi atque explicari possunt, sunt etiam naturales.

XCIV. Quamquam porro experimur naturales actionum consecutiones sæpe aliis fortuitis eventibus debilitari; hominis tamen ratio cum ex ipsa natura DEI & hujus universi, tum ex naturali hominis & ad Deum & ad res alias relatione intelligit, aliam vel præmiis retributionem, vel pœnæ deficientis mensuram esse expectandam.

XCV. Displicent non paucis datæ supra obligationis & legis definitiones, quod nulla in iis fiat legislatoris mentio.

XCVI. Sed duæ quæstiones sunt, quid res sit, & unde illa proficiscatur; neque opus est in effectus definitione etiam efficientem causam includere; quid? quod obligatio in interiorem & exteriorem tunc dividi amplius non possit.

XCVII. Nec propterea confundimus varias officiorum species, & multo minus concionatorum exhortationes, amicorum consilia, histrionum persuasiones, aut latronum minas obligationum numero adscribimus. *

* Cf. meam Exercitat. De Obligatione, Lege & Jure &c.



CAPUT III.

De legum naturalium principiis, ac proprietatibus.

XCVIII. Legum naturalium existentia & proprietates plenissimam accipient lucem, si quibus illæ leges principiis innitantur, detegamus.

XCIX. Ac principium quidem *essendi*, seu possibilitatis *immediatum* in non repugnantia humanæ naturæ, *mediatum* vero in ipsa divini numinis essentia reperitur.

C. Principium autem *existendi*, seu fiendi *proximum* ab hominis essentia actu existente, & *remotum* (est enim homini existere fortuitum atque contingens) a supremi Creatoris voluntate repetendum.

CI. Illud, cujus ope ad cognitionem hujus divinæ voluntatis pervenimus, dicitur principium *cognoscendi*; est autem duplex prout vel *subjective*, vel *objective* consideratur. Primum est facultas, quæ obligationes & leges naturales nos docere potest, alterum fons, seu generale axioma, ex quo omnes ac solæ ille leges depromuntur.

CII. Ad Principium cognoscendi *subjectivum* primo pertinent *sensus moralis* seu veri naturæ instinctus, qui nunquam penitus suffocantur.

CIII. Hi autem non sufficiunt, sed distinctas & plenas legum notitias suppeditat *Ratio*, quæ



quæ rerum nexum & hinc boni vel mali cum actione copulationem videt, & stimulos genuinos a spuriiis discernit.

CIV. Rationem vero cum dicimus, intelligitur *recta*, quæ nimirum cum hominis constitutione aliisque subjectis, in quibus versatur, conveniat, res natura copulatas conjungat, & separet natura discretas, quæ certis, & evidentibus principiis nitatur, atque ex illis legitima ratiocinatione concludat.

CV. Plurimum adjuvat rationem sufficiens attentio ad res sensibus obvias adhibita, seu *Experientia*, est porro & hæc magna obligationis & legis Naturalis magistra.

CVI. Non igitur actu, sed potentia tantum innata est nobis legum naturalium cognitio, quam ab inspiratione aut revelatione speciali cum Poireto derivare, prorsus est ineptum.

CVII. Et simul corruiit opinio eorum, qui ab auctoritate, exemplo scilicet, judicio & traditione aliorum, naturalem agendi normam esse hauriendam putant.

CVIII. Quamquam enim viciata sit ratio a primorum parentum labe, ea tamen ablata non est, sed tantus nobis remansit illius gradus, quantus libertatis. Cur igitur non vident rationis osores se & libertatem simul subruere?

CIX. Characteres principii cognoscendi ex quo, seu objectivi, sunt, ut sit *verum*, *perspicuum*, *adæquatum*, ne plures scilicet, aut pauciores leges contineat, quam naturales, &



tunc erit simul *proprium* hujus disciplinae, seu *domesticum*, *primum*, & *universale*.

CX. Multi quidem sibi persuaserunt inutile esse tale principium invenire, quod acres de tali fonte altercationes non impedierint, ne tamen docti in conclusionibus fere consentirent, indocti vero illas probe cognoscerent.

CXI. Ast ea est ratiocinii natura, ut universalem propositionem præmittere oporteat, quarum plures qui statuunt in nostra disciplina, non animadvertunt, eas non posse inter se pugnare, & porro in re quadam, quæ primum fit principium, necessario consentire.

CXII. Habent quidem indocti legum naturalium notitiam & usum, artem non habent, quæ in principiorum nexu posita est; quod si principia non verbis tantum discrepent, sed etiam re, neque in conclusionibus consensus adesse potest. Ceterum principio suo non carent reliquæ disciplinae.

CXIII. DEUS qua naturæ auctor voluntatem suam verbis non declaravit, sed rebus ipsis & factis; quare *leges rerum a Deo conditarum*, quatenus ex ipsa earum essentia, atque natura intelligi & actionibus nostris liberis applicari possunt, uberrimum esse omnis legis naturalis fontem, statuendum est.

CXIV. Igitur actiones, quæ cum hisce finibus necessario connectuntur, lege naturali præceptæ, quæ iis repugnant, prohibita, quæ ad eos æque bene ducunt ac alia, permissæ sunt; ast hæc propositio



Juris Naturæ fundamentalis a fonte prius referato distinguenda est.

CXV. Hominum existentia, & usus facultatum ipsis tributarum fines sunt intermedii, divinæ autem gloriæ manifestatio est finis ultimus creationis; igitur omnia officia ad Dei *Cultum, Philantiam, & Socialitatem* revocantur.

CXVI. Hofce Dei fines nemo negare aufit, est ergo principium nostrum verum; dein illos fola ratione quivis facile intelligit, est ergo evidens; tandem ex iisdem fluunt omnes obligationes naturales nec aliæ plures, ergo est adæquatum; hinc primum, universale & domesticum.

CXVII. Qui pro principio ponunt aut convenientiam cum natura, aut veritatem realem, aut bonitatem & malitiam intrinsecam, aut amorem Dei, fui, & proximi, aut relationem naturalem, aut Dei attributa, aut conformationem creaturæ cum Creatore, aut felicitatem, aut distributionem ejus, quod cuique debetur, verbis a nobis dissentiunt, sententiis congruunt.

CXVIII. Integrum vero disciplinæ nostræ ambitum non complectuntur, qui a confervatione fui, propria utilitate, socialitate, benevolentia, duratione humani generis, paceque externa ducunt naturæ leges; hi enim certum solummodo officiorum genus tradere voluerunt.

CXIX. Quare facile conciliari possunt cum nostro pleraque principia, siquidem alii Dei



essentiam, alii voluntatem, alii rationem suggerunt, quia de principio essendi, vel existendi, vel cognoscendi *per quod* loquuntur. Alii ad alia recurrunt, prout vel totum Naturæ legum systema, vel partem tantum adornant.

CXX. Nihil vero ad principii requisita attenderunt, qui primum, & domesticum cognoscendi principium in statu integritatis, in septem præceptis Noachicis, in Decalogo, in Evangelio, in consensu gentium, in potentia Physica, in generatione, in eo, quod natura omnia animalia docuit, denique in dicto veterum: Nosce te ipsum, quæsierunt.

CXXI. Legum naturalium proprietates ex datis antea principiis promanant. Ita quoniam earum indicia existunt in natura rerum, plenissima autem cognitio adhibita ratione a nobismet ipsis comparari potest, consequens est, ut *plana* sint, *liquida* ac sufficienter promulgata naturalia morum præcepta, hinc ut, qui statum habet perfectum, illa invincibiliter ignorare nequeat. Sed excusari sæpe potest facti ignorantia, quæ primum *experientia* superatur.

CXXII. Ideo certitudinem habent veritates mathematicæ, quod non sumantur principia nisi evidentia & conclusiones inde syllogistice deducantur; idem autem observatur in legibus naturæ, quare *mathematica certitudo* iisdem nequit denegari.

CXXIII. Quoniam lex naturalis in ipsa hominis rerumque essentia, vel absolute, vel sub
cer-



certis circumstantiis considerata rationem habet, & convenientiam vel disconvenientiam exprimit cum perfectissima Dei natura; quæ omnia mutari nescia sunt; sequitur hanc legem eandem semper atque *immutabilem* esse debere.

CXXIV. Equidem imago mutationis sæpe fallere minus attentos posset, quum nimirum leges, quæ nonnisi pro certis circumstantiis latæ sunt, cessante eo rerum statu amplius non adparent. Revera tamen nulla fit ipsarum legum mutatio, quippe quæ posita nova hacce peristasi nunquam antea exstiterant. Sed nec in statu collisionis alterutra mutatur lex, verum casu atque eventu impossibilis fit utriusque custodia.

CXXV. Quidquid immutabile est, idem & necessarium esse oportet, siquidem, quod ei oppositum est, repugnat. Itaque ex naturalium legum immutabilitate illarum quoque *necessitas* nunc absoluta & simplex, nunc saltem hypothetica concluditur.

CXXVI. Fuit in mente Dei ab omni æternitate boni malique distinctio, neque is veritates morales ex propria & hominum essentia fluentes alio sibi repræsentare poterat modo, quam quo nunc sunt; ac propterea naturæ leges etiam *æternæ* nominantur. Alia est legum positivarum ratio, quin enim diversa earum fieri posset repræsentatio, nulla adparet repugnantia.

CXXVII. Quanquam enim hominem creare, vel non creare a liberrima Dei voluntate



penderet, ab ea tamen non pendebat, alias, quam quæ nunc sunt, præscribere naturæ leges, sed, quod bonum erat, præcipere, & quod malum, prohibere debuit, & inde plenius intelligitur, cur *moralitas actionibus nostris sit intrinseca.*

CXXVIII. Falsum porro est, quod ajunt, ita summo scelere principium statui extrinsecum, quod sit Deo prius aut coæternum; ultima enim boni hujus vel mali ratio a consensione ducitur vel dissensione actionis cum divina essentia atque natura, quam libertati & voluntati præire animo concipimus.

CXXIX. Deus est omnis possibilitatis fons, itaque nisi is existeret, nec quidquam aliud nec intrinsece quidem esset possibile, hinc neque naturæ leges. Quum tamen, etsi quis a Deo abstrahat, propriam naturam concipere, & quæ cum his actionibus necessario copulata sunt, naturalia præmia vel pœnas, nunc magis, nunc minus efficaciter sentire possit, consequens est, ut insipientes, qui naturæ Auctorem agnoscere recusant, tamen omne naturalis legis frænum non removeant.

CXXX. Nec obloquantur adversarii: tunc morum præcepta consilia potius esse quam leges, & neminem urgere legis custodiam. Enimvero hanc urgent consecutaria cum actione copulata, quæ pœnæ sunt vel præmii loco & obligationem ad legem pariunt a consilio plane diversam.

CXXXI.



CXXXI. Sæpe tamen actionum confectaria aliis externis & fortuitis eventibus debilitantur, ut bonis male, malis vero bene res succedant. Manca igitur foret juris naturalis sanctio, nisi a Dei bonitate & sapientia, bene vel male factorum compensatio expectanda esset in aliqua vita futura; quod ipsum simplex & individua mentis natura ejusque ad novas semper acquirendas perfectiones capacitas arguit.

CXXXII. Fundatæ sunt naturæ leges in ipsa hominis natura, & quasvis actiones moraliter bonas, vel malas comprehendunt; primum igitur omnem hominem obligant, dein ad omnes actiones a libertate provenientes extenduntur; & hinc sunt tam subjecto, quam objecto *universales*.

CXXXIII. Sunt porro leges naturales primum *sanctæ*, quod a nemine impune possint violari, dein *faciles*, siquidem ad earum custodiam & connati stimuli, & recta ratio, & tota natura nos impellit. *Vid. Psalm. XVIII. 8. Matth. XI. 30.*

CXXXIV. Sunt qui leges naturales esse negant, quod 1.) jura sibi homines invenerint pro utilitate, 2.) eaque pro morum & temporum vicibus sæpe immutentur: 3.) tantum cuique juris sit, quantum potentiæ, cui resisti nequeat, 4.) nec quisquam a propria obligari possit ratione, 5.) quo nomine non veniant nisi præconceptæ singulorum opiniones, & raro inter se congruentes. 6.) Clamitant alii defecisse post

Ada-



Adami lapsum rationis lumen , & 7.) non paucas gentes summa legum , quæ naturales dicuntur , ignorantia laborare. Sed hæc omnia fati supra explosimus. *

* Cf. meam Exercitationem. *De Legum naturalium Principiis ac Proprietatibus.*

C A P U T I V.

De juribus hominum universalibus & quod inde fluit, actionum moralium discrimine.

CXXXV. Quoniam in notione obligationis & legis jus aliquod inesse oportet, facile patet, cur omnes homines, quod lege naturali præceptum faciendi, & quod vetitum est omitendi jura habeant stricte talia, & contra, cur, quæ eadem lege permittuntur, ea singuli ex sua voluntate determinandi libertatem moralem a natura acceperint, sive jus permissivum.

CXXXVI. Tam obligationes quam Jura naturalia, vel *absoluta* sunt & *connata* si ex natura ipsa humana generatim accepta ducantur, vel *hypothetica* & *contracta* si simul ab alia peculiari affectione, aut quodam interveniente facto, pendeant; quare priora simpliciter sunt universalia, posteriora vero quodam sensu vocantur singularia.

CXXXVII. Utuntur homines communi quadam essentia atque natura, in qua cum sufficiens jurium connatorum ratio reperiatur, satis liquet, hæc in singulis ejusdem esse quali-



litis & quantitatis, atque adeo tanquam prorsus similia, & æqualia, ac inter se congrua recte cogitari.

CXXXVIII. Quapropter inter homines qua homines nec *Prærogativa*, Jus unius præcipuum, seu, quo quis præ aliis pari ceteroquin Jure utentibus gaudet, nec *Præcedentia*, Jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando, intelligi potest.

CXXXIX. Nulla determinatio moralis, quæ nimirum ad nostram referatur libertatem, reperiri potest, cum quo non aliquod quodammodo cohæreat Jus, igitur non inepta est altera illa status moralis definitio, quod sit: *Complexus jurium, quibus homines actu sunt instructi.*

CXL. Quoniam primigenia hominum Jura prorsus sunt æqualia, manifesto colligitur, eos absolute spectatos in statu omnimodæ æqualitatis vivere, in quo, nec quod uni vetitum est, alteri permissum, nec quod uni permissum est, reliquis prohibitum aut præceptum dici possit; quæ vero hodie existit inæqualitas, ea vel hypothetica est vel tantum physica.

CXLI. Jus actiones alterius liberas pro suo arbitrio ad certum quemdam finem determinandi, potestas aut *Imperium* nuncupatur; obligatio autem hujus modi actiones voluntati illius, qui imperio pollet attemperandi, *Subjectionem* constituit, & inde quinam *imperans*, dicatur, & quinam *subditus*, facile est definire.

CXLII.



CXLII. Ex naturali hominum æqualitate, eorum quoque *libertas a subjectione*, seu independentia, ab cujusvis alterius hominis arbitrio intelligitur, quo enim jure unus alteri, ut aliquid faceret, vel non faceret, imperare vellet, eodem jure hic vicissim illius actiones posset moderari, & ab eodem petere ut suum se in agendo judicium sequi patiatur.

CXLIII. Bona, Perfectiones, atque adeo jura omnia, quæ in relatione ad certam personam determinata sunt, seu quibus eadem jam jam instructa est, *Suum* ipsius constituunt; itaque suum a *merito* discernere oportet & dignitate, quod scilicet in aliquo determinatum non est, sed eidem congruum & conveniens esse judicatur.

CXLIV. Itaque corpus, & anima ac singulæ horum facultates, tum æqualitas, libertas cæteraque cum his connexa jura ad suum cujusvis & quidem *naturale* pertinent; de modis vero, quibus aliquid facto comparari suumque alicujus *aquisitum* fieri possit, infra agemus.

CXLV. Nunquam vero quod totum alienum est, illud ipsum esse meum, seu quod totum meum est, esse simul alienum potest; quod qui negare audent, aperte incidunt in repugnantiam, & libertatem hominum moralem ante stabilitam plane destruunt.

CXLVI. Quidquid nostrum diminuit, id nocere, nos turbare, violare, & lædere generatim dicitur, illa autem violatio, quæ ab homi-

mi-



mine in alienum involante proficiscitur, proprie *Læſio* nominatur, quorsum & vulgata spectat læſionis definitio, quod sit; actio quæ suo alterius repugnat.

CXLVII. Læditur autem alter, si suum eadem subtrahitur, vel ponitur impedimentum ne quis jure suo utatur: quorum utrumque si a libero ejus, qui læsit arbitrio, pendeat, læſio moralis strictius, vel *injuria* generaliter nuncupatur; secus est tantum infortunium, læſio physica.

CXLVIII. Inter jura connata jus quoque in suam conservationem referendum est: quare facultas moralis ad ea cuncta nobis est tributa, sine quibus huic obligationi, & officio non posset satisfieri: unde nova jura primigenia, scilicet *jus rerum*, *jus securitatis*, *jus defensionis* & denique *Jus Belli* promanant.

CXLIX. Rei nomine hic venit, *Omne ens a persona distinctum*, quod nobis præstare usum potest; quum quilibet nostrum, rebus variis veluti, cibo, potu, ac vestimentis ad vitam tolerandam indigeat, perspicuum est, nemini jus acquirendi, & adhibendi res ad sui conservationem necessarias posse denegari: hoc enim sublato, etiam obligatio se conservandi, irrita fieret inanisque.

CL. Status in quo nullum malum imminens licet prævidere, *securitas* generatim dicitur, jus autem securitatis vocant jus non patiendi, ut ab altero sibi noceatur; quoniam
qui-



quilibet homo jure se conservandi a natura est instructus, evidens est, etiam jus securitatis juribus connatis esse adscribendum.

CLI. Qui jus habet non patiendi, ut ab altero sibi noceatur, eidem jus ad actiones quibus vim & injuriam præcaveat competere necesse est; & quia actus, quo quis obnititur læsioni *defensio* nominatur, planum est cuilibet homini congenitum quoque esse jus defensionis, quod ad omnia facta, sine quibus nullus foret hujus juris usus, porrigatur.

CLII. Quare, si quis eo rerum redactus sit, ut imminens sibi ab altero malum alia via nequeat declinare, quam si vim eidem adferat, & itidem mala importet, jure etiam gaudet, quo vim vi repellere, ac læsionem intentanti tot detrimenta inferre liceat, quot sufficiant ad hoc, ut læsio etiam physice fiat impossibilis, & ab illa abstinenceatur: atque istud est, quod vocant, *Jus violentiæ* seu *Jus cogendi* strictissime sumtum.

CLIII. Alterum turbare non videtur, qui suum tenet, igitur jus cogendi in eos se non exserit, qui dum alterius perfectiones non augent, nihil tamen faciunt, per quod ipsius perfectionibus detrahatur: secus enim meum & tuum voces erunt inanes, & naturalis libertas evanescet.

CLIV. Frustra igitur nonnulli jus violentiæ in eos, qui plane nihil nocent, ex nuda obligatione erga se ipsum deduci posse arbitran-



trantur: vel enim juris nostri impedimentum ab eo venit, qui illud ponere jus non habet, & jam læsio est, quæ jus cogendi producit, vel vero, qui causa est impedimenti, jus suum usurpat, & in hac specie, jus nostrum non majorem efficaciam habere potest, quam vis physica, quæ per æqualem vim physicam retunditur.

CLV. Jus quod nobis respectu aliorum hominum competit, si in eo, quod nostrum est, rationem habet, *Jus perfectum*, seu *facultas* stricte, nominatur; alii si ex merito tantum descendat & dignitate dicitur *aptitudo*, seu *Jus imperfectum*.

CLVI. Quoniam eos tantum cogere nobis licet, qui in id, quod nostrum est, aliqua ratione involant, contra nativæ cujusvis libertati relinquendum est, ut circumspiciat, an idonea nos perficiendi occasio ei præbeatur; ideo jus perfectum vocant, *quod conjunctum est cum jure hominem alterum cogendi*, cui vero *jus coactionem externam adhibendi minime cobæret*, jus imperfectum: Enimvero jus perfectum esse aliquando insufficiens atque inefficax, sive a juris cogendi exercitio separari, minime repugnat.

CLVII. Igitur leges & obligationes perfectæ omnes ex suo alterius profluunt & in hacce propositione continentur: *Neminem lædas vel finito suum cuique*: Contra leges & obligationes imperfectæ ex aliorum merito gignuntur &



dignitate, ac in illo infunt enuntiato: *Studeas prodesse aliis*, seu eorum utilitatibus *servire*.

CLVIII. *Jus commune* dicitur, quod omnibus competit, *Jus proprium* vero, quod unus aut plures conjunctim ita habent, ut ceteri omnes ab eo possint excludi: quare jura *conata* juribus communibus, & jura *aquisita* juribus propriis accensenda sunt, attamen uti jus, quod pluribus conjunctim proprium est, illud inter ipsos commune nominatur, ita & jura communia, si ut in singulis hominibus determinata spectantur, naturam juris proprii induunt.

CLIX. Is hominum status, qui ab omni aliorum violentia & coactione vacuus est, *Pax* vocatur, huic opponitur *Bellum*, seu status ille, in quo homines conatum efficacem produnt mala aliis inferendi per vim. Itaque habito jure violentiæ, etiam jus belli competit.

CLX. Quoniam status belli non existit nisi superveniente illicito quodam facto, satis liquet statum hominis naturalem absolutum esse statum pacis, statum vero belli esse præternaturalem atque hypotheticum.

CLXI. Omne id, quod jure suscipitur, seu quod legi & juri non repugnat, *Iustum* est latissime: id ipsum dicitur *Honestum*, quatenus ad voluntatem agentis refertur, ac porro omnium approbationem demeretur. Justo injustum, honesto inhonestum, seu turpe sunt contraria; itaque *Injustum* est, quidquid juri



ac legi non congruit; *Inbonestum* quod, cum agentem moraliter reddat imperfectiorem, nullius approbatione dignum esse potest.

CLXII. Quoniam vero legum & officiorum genera tribus summis capitibus, nimirum Dei cultu, philautia & socialitate constant, singula quoque propriis nominibus oportuit insigniri; hinc, quod officiis erga Deum convenit, *Pium*, quod officiis erga se ipsum, *bonestum*, quod officiis erga alios, *justum* sensu minus lato adpellari consueverunt; quorum contraria, scilicet *impium*, *inbonestum*, & *injustum* facile tacentibus nobis intelligentur.

CLXIII. Sed tam officia erga nosmetipsos, quam officia erga alios bifariam considerari possunt; ac illa quidem prout a statu nostro, vel interno, vel externo, hæc vero quatenus a jure alterius, aut perfecto, aut imperfecto ducuntur. Ideo in arctissima significatione *bonestum* dicitur, quod statum nostrum internum perficit; *decorum*, quod statui nostro externo consentaneum est, & hinc ab aliis sensu percipi, gratumque judicari potest; *justum*, quod suum alterius non violat; *æquum* denique, quod aliorum meritis congruit atque dignitati, & jam *inbonestum*, *indecorum*, *injustum*, *iniquum* strictissime quid sit, planum erit definire.

CLXIV. Certa agendi facilitas ac promptitudo habitum constituit; hic si in legibus custodiendis acquiritur, *Virtus*, si autem in iisdem violandis, *Vitiositas* nuncupatur; quum



vero tam legum custodia, quam violatio ab aliquo intellectus & voluntatis actu proficiscatur: consequens est, ut nuda omnique mentis habilitate destituta actionum externarum convenientia vel disconvenientia cum lege nec virtutis nec vitiositatis nomen mereatur.

CLXV. Quoniam multiplex habituum agendi, & legum naturalium consideratio est, ideo tam virtutes philosophicæ, quam vitia in varias formas dispescuntur. Uti enim habitus, qui in edendis actionibus vel piis, vel honestis, vel decoris, vel justis, vel æquis, comparantur, singulari *pietatis, honestatis, decen-
tia, justitiæ*, aut *æquitatis* veniunt nomine, ita quæ his virtutibus opposita sunt vitia, scilicet *impietas, inhonestas, impudentia, injustitia, iniquitas*, cernuntur in habitibus contrariis; quum tamen justis & honestis, dein injustis & inhonestis jam amplior, jamque ætior sit significatio: manifestum est, etiam justitiam & honestatem, tum injustitiam, & inhonestatem, nunc magis, nunc minus late patere.

CLXVI. His ita expositis non abs re erit varia, quæ faciunt justitiæ genera breviter indicare: ac primo quidem eam *Universalem* esse vel *Particularem* dicunt. Illam esse ajunt, quæ virtutes omnes vel simpliciter, vel saltem ad aliorum perfectionem indefinite relatas complectatur; huic autem subjiciunt actiones, quæ juri alicujus definito & peculiari, & porro servandæ inter homines æqualitati congruant.

gruant. Deinde particularem justitiam vocant *Distributivam*, quæ in rebus secundum quid communibus dividendis versetur proportione geometrica, & *Commutativam*, quæ ad res proprias in alterum proportione arithmetica, adeoque sine læsione, transferendas pertineat. Denique justitiam in persolvendis præmiis *Remuneratoriam*, in pœnis infligendis *Ultricem*, seu vindicativam nuncupant.

CLXVII. Etsi vero hæc justitiæ distributio per se non sit absurda, ea tamen miris ambagibus involuta fuit & logomachiis: quare præstat modo illam divisionem, quæ a jure illius, cui aliquid tribuitur, descendit, cum Grotio usurpare. Si nimirum juri alterius perfecto responderet, & hinc suum & facultatem respicit, justitia est *Expletrix*, si vero responderet juri alterius imperfecto, adeoque meritum tantum respicit & dignitatem, justitia est *Attributrix*. Nec ullum reperire est justitiæ munus, quod non uno, aut altero hujus divisionis membro contineatur. Ceterum abunde patet totam justitiam explettricem proprie & stricte justitiæ nomine venire.

CLXVIII. Porro justitiam aliam *personæ*, seu internam, aliam *actionis*, seu externam, faciunt: priorem per *habitum animi suum cuique tribuendi*, posteriorem per *nudam actionis cum lege convenientiam* definiunt. Enimvero, etsi hæc formam habet justitiæ, & similitudinem, vera tamen justitia non est; quod talis autem esse



judicetur, inde evenit, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus introspicere. Ceterum duplex hæc personæ & actionis consideratio non tam justitiæ propria est, quam reliquis etiam virtutibus communis, siquidem actiones piæ, honestæ & æquæ nunc a proposito voluntatis, nunc ab alia quoque causa proficisci possunt.

CLXIX. Quemadmodum bona & recta non aliter est actio, quam si in singulis suis partibus consentit cum lege, ita *virum bonum* esse illum tantum dicimus, qui pietate, justitia, æquitate, honestate & decencia est imbutus, *justum* vero in sensu latissimo, qui nullis adhuc scdatus est vitiis contrariis. Quum autem hæc vitia primum actionibus nostris liberis adsciscantur, nemo a sola natura vitiosus, scdusque esse intelligitur, sed demum accedente quodam facto; hinc quilibet homo etiam eo jure connato gaudet, ut justus amplissima significatione esse judicetur, donec ex turpibus factis de ipsius malitia & vitiositate constiterit.

C A P U T V.

De varia actionum moralitate imputatione, ac conscientia.

CLXX. Actiones humanæ non modo ratione subjecti, in quo versantur, a se invicem discrepant, sed etiam a quantitate bonitatis vel malitiæ moralis accipiunt discrimen.

CLXXI.



CLXXI. Scilicet convenientia actionum liberarum cum lege illarum rectitudinem, repugnantia vero peccatum constituit; sed legis robur ex obligationis quantitate, hæc vero ex momenti cum actione copulati pondere & viribus æstimatur; satis itaque liquet, nunc majores nunc minores leges a nobis posse custodiri, aut violari, & porro tam peccata, quam recte facta, disparia aliquando esse oportere.

CLXXII. Sed neque actionum bonitas, vel malitia moralis aliter intelligitur, quam si eadem ab agentis libertate veluti effectus a suo principio & causa proficiscantur; quum igitur quantitas causæ quantitatem effectus necessario determinet, & libertas, quæ arbitrio & ratione agentis constat, jam diminui, jamque augeri pro re nata possit: manifesto apparet, varios quoque, & multiplices esse debere libertatis effectus; dari porro moralitatis quantitatem, atque hinc liberam actionem bonam, vel malam, alias aliis honestiores fieri, vel turpiores.

CLXXIII. Itaque in quantitatem moralitatis inquisiturus, actionem liberam ad *arbitrium* & *rationem* agentis, quasi ad pondera, atque mensuram exigere debet, illamque eo meliorem, vel pejorem judicare, I. quo magis quis sponte sua egit, II. quo plures habuit in sua potestate actionum determinandi modos, III. quo graviora denique agendi, vel non agendi momenta perspicere potuit. Contra tanto ma-



gis honestati, vel turpitudini actionis decedere tenendum est, quanto minus id, quod factum est, vel *spontaneum*, vel fortuitum, seu *contingens*, vel rationi pervium, seu *intelligibile* fuisse reperitur.

CLXXIV. Actio, vel prætermisio libera singularis, quæ scilicet persona, loco, tempore, ceterisque adjunctis circumscripta est, *factum* strictiore significatione nuncupatur: causa efficiens libera facti est *Auctor*, qui vero auctorem facti declarat, *imputare* dicitur. Itaque *imputatio* iudicium est, quo quis actionis, vel prætermisio singularis auctor, seu causa efficiens libera esse affirmatur.

CLXXV. Quum autem nulla existere actio moralis, aut factum possit, ad quod non aliqua pertineant morales consecutiones, præmia nimirum vel pœnæ, sive merita generatim dicta: consequens est, ut auctor facti, etiam causa libera moralium consecutorum, seu meritorum declarandus sit. Quare distinctam dant imputationis notionem ii, qui illam dicunt: *Judicium, quo factum aliquod, & ejus consecutoria seu merita libero alicujus arbitrio assignantur.*

CLXXVI. Quoniam vero ex connexione momentorum cum actionibus obligationes emergunt & leges, nemo non videt, eum, qui imputationem facit, primo examinare, & tribuere alicui factum, dein animum ad facti consecutoria, seu obligationem & legem reflectere, postea iudicium, quo auctor sanctioni

le-



legis subjiatur elicere oportere; atque idcirco imputationem alii in adplicatione legis ad factum, alii in iudicio discursivo, seu ratiocinio de moralitate actionis singularis collocarunt.

CLXXVII. Inter actus, ex quibus constat imputatio, unus est, quo factum, alter, quo facti merita auctori assignantur; priorem actum imputationem *facti*, posteriorem imputationem *juris* nuncupant; atque inde colligunt, in quovis iudicio imputatorio tres cogitatione saltem discerni posse personas, unam, quæ imputet factum, alteram, quæ imputet jus, tertiam, cui & factum & jus imputetur; quia tamen nemini jus imputari sine facto potest, non obscurum est, imputationem facti, & imputationem juris non esse imputationis formas, sed tanquam partes ad unam plenam integramque imputationem pertinere.

CLXXVIII. Nititur itaque omnis imputatio iudicio discursivo, seu ratiocinio; quod cum verum esse possit, vel falsum, consequens est, imputationem in *veram* seu rectam, & *falsam*, seu errantem non inepte distribui. Quare vera erit rectaque imputatio, si nec in idea facti, nec in idea legis, nec in utriusque inter se copulatione ulla occurrat repugnantia. Contra fallaciam instituunt in imputando, qui vel facto, vel lege, vel facti ad legem adplicatione aberrant.

CLXXIX. Prout dein facti & juris cognitio ex ratione sufficiente arcessitur, etiam im-



putatio certa alia est, alia autem incerta: quæ posterior, si ad veritatem accedat magis, quam recedat, verosimilis dicitur & *probabilis*, si autem ad falsitatem propendeat magis quam ad veritatem, quamvis penitus convelli, & inter apertos errores referri non possit, tamen *improbabilis*, nec similis vero nuncupatur; atque ex his consequitur, ut primo, quo plures vel pauciores veritatis occurrunt notæ, eo *probabilior*, vel *improbabilior* fiat imputatio, dein ut tamdiu *dubia* hæc hærerè debeat atque suspensa, quamdiu rationes auctorem facti & confectariorum affirmandi, vel negandi sunt æquales.

CLXXX. Nunc quid imputationi subiectum sit, quidve objectum, & quodnam illa habeat fundamentum, haud difficulter perspicitur. Primo enim imputatio iis tantum fieri potest, qui agendi libertate sunt instructi; dein in omnibus versatur actionibus, quæ aliquam habent moralitatem; & demum a quadam semper pendet obligatione & lege, quibus actio imputanda comprehendatur: quare, quæ a nonnullis statuitur, imputatio physica a recepto loquendi usu penitus abhorret.

CLXXXI. Quæ hætenus de actione auctori imputanda generatim diximus, ea ad quamlibet causam liberam efficientem, seu ad omne auctoris genus applicanda sunt. Est autem hoc duplex, quidam enim sua tantum vi agunt, & dicuntur causæ actionis unicæ, seu
so.

solitariae; quidam autem alteri vires suas accommodant, & sunt causæ auxiliatrices, seu *sociæ*. Quum vero quæ sociæ sunt causæ, non eadem semper sese exserant efficacia, novæ etiam illarum nascuntur formæ: quæ enim pari vi operantur, *æquales*, secus *inæquales*; dein quæ plus ad factum conferunt, *præcipuæ*, quæ minus, *administræ*; tum quæ ita actionem antecedit, ut nulla alia interjecta sit, *proxima*, ceteræ *remotæ*; denique, quæ effectum per se producunt, *immediatæ*, quæ per alium effectui tribuunt existentiam, *mediatæ* nominantur.

CLXXXII. Ad causas mediatas seu morales in specie dictas ii porro accensentur, a quorum libertate actionem ab altero patrari, vel non patrari quodammodo pendebat, quod quidem quatuor contingere modis potest. I. Si nimirum quis actionis *ideam* sermone, exemplo, aut consilio alteri producat. II. Si illius *voluntatem* imperio, precibus, minis, palpatione ad agendum permoveat, sollicitet, instiget, exhortetur; aut saltem agere volentem idem se velle declarando, seu adjecto consensu, confirmet. III. Si actionis suscipiendæ, vel occultandæ locum, tempus, modum, aliave idonea suppeditet *remedia*. Si demum IV. actionem molienti non inferat, cum posset, vel verbis vel factis *impedimentum*. Hos enim cunctos influxisse in actionem, ejusque esse participes, atque consortes manifestum est.



CLXXXIII. Quum objectum, seu materia, in qua versatur imputatio, sint tantum actiones morales, seu liberæ, morales autem dici nequeant, nisi sint spontaneæ, contingentes, & ab homine rationis compote susceptæ: consequens est, ut mutationes, quæ sine spontaneitate, contingencia, & intelligentia in nobis existunt, imputationem non admittant, & hinc ut ex defectu SPONTANEITATIS, nec I. facta unice ab altero producta, nec II. nudas perpeffiones, nec III. actiones, ut quidam vocant, simpliciter coactas, nec IV. casus fortuitos, seu eventus ex *fortuna*, hoc est, ex improvise, aut saltem inevitabili causarum nexu emergentes, nobis in præmium, aut in pœnam imputari oporteat.

CLXXXIV. Et quia actiones vel simpliciter necessaria, vel simpliciter impossibiles carent CONTINGENTIA, aperte colligitur, neminem eorum declarari auctorem posse, quæ vel in ipso fiunt necessitate intestina, vel facere is prætermittit, quoties nulla reperitur agendi occasio, aut imbecillitas naturalis, quam scilicet superare non est in nostra potestate positum, obsistit: si enim vires suas quis libere detriverit, sibi que ademerit potentiam agendi, quin ejusmodi præmissiones ad illius referantur libertatem, & porro ei imputentur, non est dubitandum.

CLXXXV. Denique ex defectu INTELLIGENTIÆ I. actiones, quas quis in statu
mo-



morali imperfecto veluti furore, infantia dementia patravit, respuunt imputationem. II. Quod ipsum de illis mutationibus dicendum est, quæ vel ex insuperabili juris, aut facti ignorantia, vel III. ex summa ebrietate involuntaria, vel ex dormientis phantasmate seu somnio, seclusa ratiocinandi facultate, obveniunt: ubi vero veritatem magis perspicere, & a noxio potu sibi cavere, aut imagines in dormiendo reproductas non copulare, a libero agentis pendebat arbitrio, adest jam moralis actionum causa, cui morales etiam effectus assignandi sunt.

CLXXXVI. Visa hætenus imputationis materia sequitur, ut etiam de ejusdem quantitate differamus; causa nimirum & fundamentum, ob quod imputari facta possunt, est eorum moralitas, quæ ipsa in proventu actionum a libertate collocatur, quia vero ex quantitate causæ quantitatem effectus oportet dimetiri, palam est mensuram imputationis in magnitudine, & gradu moralitatis adeoque & libertatis contineri; unde consequitur, ut eo magis minusve quis sit actionis auctor, & hinc eo majore vel minore premio, aut pœna dignus judicandus, quo ampliore & angustiore arbitrio & ratione in agendo est potitus.

CLXXXVII. Arbitrium vi quadam efficiente interna sese exserere supra est ostensum, quum autem hæc interna vis eo major esse debeat, quo plura investiganda sunt agendi



remedia, aut tollenda impedimenta: consequens est, ut actiones faciles, & ad quas commoda, atque idonea se præbet occasio, minus imputandæ sint, quam difficiles, quæque non antea patrantur, quam occasione circumspecta. Et quia extrinseci eventus ac circumstantiæ, quæ nos ad aliquid faciendum vel non faciendum hortantur, partem occasionis constituunt, illud etiam conficitur, eo minus imputari factum vel non factum, quo plures exstiterant, hujusmodi extrinsecæ stimulantes causæ, & contra tanto magis utriusque imputationem augeri, quo fortiora præsto fuerant momenta, quæ impellebant auctorem, ut ageret potius contrarium.

CLXXXVIII. Ex eodem principio colligimus, cur actiones ultroneæ, lubentes ex voluptate atque extra statum collisionis susceptæ magis imputentur, quam actiones invitæ, sive secundum quid coactæ, & quæ vel ex ægritudine vel obveniente collisionis statu perpetrantur, nec minus, cur qui injuste agit majori obnoxius sit imputationi, quam qui agit ini-que. Præterquam quod enim facilius sit non nocere, quam prodesse aliis, lædens etiam jus cogendi tribuit læso adeoque majora superat impedimenta, quam alter, a quo officia imperfecta vi non possunt extorqueri.

CLXXXIX. Quoniam vero causa remota se ipsam ad agendum determinat, causa autem proxima ab altera ad agendum excitatur, in
prom-



promptu est: illius actionem rigidius, quam hujus esse expendendam; unde etiam intelligitur, causam præcipuam majori subesse imputationi, quam causam subiectam, & hinc ei, qui aliquid jubet fieri, vel requisitus consentit, ut fiat, graviores assignandas esse consecutiones, quam illis, qui jubentis & volentis negotium unice expediunt, silent, adsentantur.

CXC. Quomodo imputationis quantitas ex spontaneitatis, & contingentiae, seu arbitrii gradu cognoscatur, satis dictum est, sequitur, ut merita ac demerita etiam rationis vi & magnitudine deinceps ponderemus. Pendet autem ratio ab attentionis, reflexionis, & intelligentiae facultatibus; atque ejus robur idearum distinctarum numero, claritate, & facilitate aestimatur; ex quo consequitur, ut quo magis quis cogitationem in factum defixit, quo plures ejus partes vidit, quo distinctius totam ejus essentiam perlustravit, quo ampliora denique ac fortiora agendi, vel non agendi momenta ex ipsa actionis idea perspexit, eo magis etiam præmium vel pœna ipsi debeatur; sane uti pro momentorum copia multiplicatur obligatio, ita & obligationis incremento moralitas intenditur, quin igitur etiam imputatio iisdem progressionibus augeatur, frustra esset dubitare.

CXCI. Nulla actio moralis est minus recta, nisi superabili intellectus aut voluntatis vitio laboret, quod generali culpæ, aut *Reatus* de-



nominatione continetur. Speciatiim vero reatus, qui versatur in intellectu, cujus nimirum agens in agendo sibi non est conscius, *Culpa* est stricte dicta, qui autem versatur in voluntate, adeoque ab agente cognoscitur, dolus simpliciter aut *Dolus malus* nuncupatur: atque ex his apparet actiones culposas, quæ scilicet ex errore, aut ignorantia superabili patrantur, minus esse in agentem conferendas, quam dolosas, quæ ab homine sciente & volente contra legem sunt susceptæ.

CXCII. Qui rationes secum subducit, *an* vel *quomodo* agere vel non agere oporteat, *deliberare* dicitur, qui vero instituta deliberatione hoc vel illud factum aut non factum præoptat, is *decernit*: actus voluntatis, quo decreti executio determinatur, prææresis seu *propositum* audit, utrique autem tam decreto, quam proposito cohæret *intentio* sive volitio *finis*: itaque luculentum est, actionem deliberatam magis imputandam esse, quam non deliberatam, ex deliberatis vero illam, cui liberius decretum, propositum, atque intentio accesserint.

CXCIII. Plures autem faciunt intentionis formas, quæ enim finem spectat, propter quem solum causa efficiens ageret, *primariam*, secus *secundariam* nominant. Porro intentionem *directam* vocant, qua id intenditur, propter quod agens agit, *Indirectam* vero, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione

ip-



ipſius ſequitur, quod tamen perinde ad id, quod vult, ex eadem ſequi poteſt. Denique ab intentione factum illicitum præcedente, *dolum ex propoſito* ab ea autem, quæ hujusmodi factum conſequitur, & adprobat, *dolum ex re* ducunt, atque ex his conſciunt, ut intentio primaria directæ, & dolus ex propoſito, quia majori contingentiâ eliciuntur, ac intelligentiâ, graviorem quoque æſtimationem recipiant, quam cæteræ formæ contrariæ.

CXCIV. Uſus remediorum & facultatum noſtrarum ad finem bonum obtinendum idoneus *diligentiâ* nominatur; cui opponitur cum *negligentiâ*, ſive omiſſio diligentiæ, quam quis obligatur adhibere, tum uſus remediorum, & facultatum noſtrarum legi contrarius, ſeu earundem *abusus*. Quoniam plurima concipi poſſunt remedia ad finem ſufficientiâ, nemo negaverit, innumeros quoque dari poſſe diligentiæ & negligentiam gradus, & propterea harum imputationem ſummopere variari oportere. Ceterum negligentia prout vel in intellectu deprehenditur, vel in voluntate, ad actiones vel culpoſas, vel dolofas pertinet, & hinc jam minore, jam majore pœna digna eſt.

CXCV. Quemadmodum infantia, dementia & furor arcent uſum rationis, & ab omni imputatione liberant, ita ætas nondum ſatis matura, aut craſſior educatio mentis valde perſtringunt oculos, ſanguinis autem temperatio atque affectus deliberandi facultatem exte-

D

nuant;



nuant; quare etsi facta in tali statu patrata non careant moralitate, ea tamen tanta non est, quanta foret, si illi idem agerent, quibus nulla hujusmodi impedimenta obsistunt. Falsum itaque is faceret judicium, qui hujusmodi actiones physice quidem æquales, sed moraliter discrepantes æqua lance suspenderet.

CXCVI. Actio, quæ in plures alias dividi potest, *composita*, quæ non potest, *simplex* appellatur; constat itaque actio libera composita ex pluribus liberis simplicibus, quarum singulæ ab arbitrio pendent, & ratione, ut porro, si omnes in unam quasi jungantur, arbitrii & rationis quantitatem, crescere necesse sit. Quoniam vero ex magnitudine libertatis quantitas moralitatis, & imputationis æstimatur, non obscurum est, actionem compositam magis laudandam esse, vel culpandam, quam actionem simplicem; inter plures compositas vero illam ceteris merito præponderare, in quam major numerus simplicium coalescit.

CXCVII. Forum morale potestatem actiones imputandi designat, quæ si de Deo enuntietur, forum *divinum*, si de homine, forum *humanum* constituit; forum divinum etiam forum *poli*, seu *internum*, forum humanum vero forum *soli*, seu *externum* nuncupatur. Scilicet summa Dei sapientia uti omnes actiones nostras, ita & interna animi cogitata distinctissime intelligit, & dimetitur: ast fallax sæpe est hominum judicium, neque occultos animi



recessus pertingit; unde consequitur, ut in foro divino innumera imputentur facta, quæ omnem hominum cognitionem æstimationemque effugiunt.

CXCVIII. Sæpe forum internum fori conscientiæ, seu rationis venit nomine, quod quam vim habeat, operæ pretium est explanare. Nempe tam facultas, qua quisque est instructus, de propriarum actionum honestate, vel turpitudine ratiocinandi, quam potissimum ipsa hujusmodi ratiocinatio, *Conscientia* moralis dicitur; quum vero rerum nexum perspicendi vis nobis tributa sit a supremo numine, & ideo vox rationis pro voce Dei habeatur: mirum non est, forum internum divinumque; & forum conscientiæ, seu rationis promiscue usurpari. Ex quibus impia refellitur illorum opinio, qui inanem putant esse conscientiæ ideam, eamque infulso vulgi judicio assignant.

CXCIX. Tot autem existunt partitiones conscientiæ, quot sunt iudicii & actionum: quæ enim de actionibus suscipiendis instituitur ratiocinatio, conscientia *antecedens*, quæ de actionibus peractis conscientia *subsequens* adpellatur; deinde conscientia antecedens duas habet subjectas formas, quarum altera *theoretica* est, seu contemplativa, si in bonitate, vel malitia actionis simpliciter versetur, altera *practica*, seu præceptiva, si actionem perpetrandam esse vel omittendam simul pronuntiet. Denique ex factis legi consentaneis conscientia



tia subsequens *bona* atque tranquilla, ex factis vero legi dissentaneis *mala* mordensque emergit.

CC. Porro quod supra observatum est, ratiocinationem in imputando rectam esse, vel errantem, certam, vel incertam, probabilem, improbabilem, vel dubiam, id quoque ad conscientiam trahi, atque inde declarari omne potest. Nam etiam legis vel facti proprii idea jam *vera* est, jam *falsa*; dein aut *evidens*, aut *opinabilis*, atque hæc postrema nunc ad veritatem propendet magis, nunc ad falsitatem. Ex his autem satis patere arbitror, non omnes conscientiæ partes subesse imputationi, sed illas solum, quæ actiones jam susceptas consecrantur; quamdiu enim homo actionem suscipiendam perlustrat, nondum sibi aliquid imputare intelligitur, sed demum ubi factum jam perpetratum, ejusque consecutiones libero suomet ipsius arbitrio attribuit.

CCI. Quæ recta est conscientia, comparat actiones cum vera lege, atque adeo voluntatem legislatoris eloquitur; itaque non est dubitandum, quin illius impulsus sequi omnino teneamur; at si iudicium actionis falsum sit, quantum id vim habeat ad obligationem, disputatur. Inprimis autem facile concedent omnes, neminem, quod falso præceptum esse putet, ommittere, aut quod falso iudicet esse prohibitum, facere oportere. Etsi enim factum legi, quæ non est, nequeat repugnare, eatenus tamen quis peccat, quod peccandi

ha-



habeat voluntatem, & quantum in ipso est, a legis violatione haud abhorreat.

CCII. Gravior autem est inter Doctores contentio de conscientia, quæ turpe quod est, præcipi, vel quod præceptum est, prohiberi opinatur. Tunc enim aut falsæ quis obtemperat conscientiæ, & legem migrat, quæ nos bona jubet facere, & omittere mala; aut agit contra conscientiam, & itidem peccat, quia animum legis violandæ, atque conatum prodit. Inde vero effici ajunt, ut hujusmodi homini necessitas peccandi semper imposita esse videatur; ast salva res est: is enim, cui error objicitur inevitabilis, culpa vacat, & imputatione, qui vero in errore versatur evitabili, in ejus est arbitrio positum errorem deponere, & ita se ab hypothetica tantum peccandi necessitate liberare.

CCIII. Quoniam qui periculum adit peccandi, contra legem committit; consequens est, ut qui dubitat, an actio præcepta sit, vel permissa, illam suscipere, qui autem dubitat, an actio prohibita sit, vel permissa, ab eadem abstinere teneatur. Si enim faciat, quod ambigit, an sit illicitum, aut id omittat, ad quod faciendum anceps est, an non fortassis obligetur, jam apparet, eum non penitus effugere legis transgressionem, suamque cupiditatem virtuti anteferre. Ast si ea obveniat species, ut de actione, an sit præcepta, vel prohibita, dubium oriatur, hæc ob eandem causam inte-



rea erit suspendenda, dandaque opera, ut dubio quantocius sublato, illam, quæ sanæ rationi magis consentanea videbitur, sententiam amplectamur.

CCIV. Non tamen manifesto semper, atque evidenti iudicio agendum est, sed si nihil certi haberi possit, fatis utique fuerit, id quod probabile est & verisimile, consuetari, ne secus eos sapissime nihil agere oporteat, qui frustra quæsiwerunt certiora. At inquis: rem tamen habere dubitationem, donec explorata sit veritas, & porro præstare, actionem suspendere, quam periculum peccandi subire. Enimvero dubia conscientia non modo rationes iudicat esse utrinque ejusdem ponderis, sed etiam paullo momento ita huc illuc impellitur, ut qualem in partem se vertat, plane non habeat: at conscientia probabilis alterutri contradictionis parti jam adsentitur, quod rebus mature consideratis unum potius, quam alterum eligendum esse videatur. Quare qui omni, quo potest studio, veritatem investigat, etsi dein certa cognitione destituatur, is tamen inevitabilis erroris auctor nequit declarari.

CCV. Ubi vero conscientia minus probabilis confligit cum probabiliore, atque eadem actio ex gravibus quidem momentis licita, re tamen diligenter perpensa majori cum probabilitate illicita esse iudicatur, absurdum utique foret iudicio minus verisimili adhærere. Præterquam quod enim nos progredi semper oporteat in via

ad



veritatem, finique intellectus adverteretur, retrorsum cedere, fieri etiam non potest, ut in eo statu dubitatio de facti turpitudine deponatur. Peccaret igitur opinionem sibi ipsi minus probabilem amplexus, quia non modo id, quod ambigit, an rectum sit, faceret, sed etiam videns meliora probansque nihilominus sequi deteriora, & ita resistere conscientiae sustineret.

CCVI. Sed nec magis voluntati bonum, quam intellectui verum pro fine positum esse constat. Quemadmodum igitur minus bonum, in conflictu cum bono majori fit comparative malum, sic quod minus probabile est, quando cum probabiliore opinione comparatur, amittere probabilitatem necesse est. Quis enim illud probabile amplius esse dixerit, quod jam a veritate magis recedere, quam ad illam accedere compertum est. Et quis propriae cognitionis defectum obtentu naturalis imbecillitatis excusare auderet, siquidem lumini prælucenti sibi clariori lumen obscurius anteposuit. Denique sicuti adulterinam corruptamque esse libram quisque agnosceret, in qua pondus levius præponderaret graviori, ita falsam spuriamque esse conscientiam fateri oportet, quam facta momentorum contentione non fortiora ad agendum flectunt, sed debiliora.

CCVII. Nunc quibus argumentis oppositam defendant sententiam, videamus. Ajunt nimirum I. opinionem, quam non constat esse



se falsam, utique sequi nos licere. Inde autem de iudicii falsitate non constare, quod contrarium probabilius videatur; quin imo II. tamdiu durare dicunt libertatem moralem, donec fuerit legibus circumscripta: III. legem vero intelligi nullam absque sufficiente promulgatione, quæ sane deficiat, quando probabiliter, seu gravi ex fundamento de illius existentia dubitetur. Addunt IV. semper in dubiis præferenda esse benigniora, nec V. intolerabile illud onus imponendum conscientis, ut in fortiores agendi rationes perpetuo inquirere, easdem librare, dein VI. quod tutius est, amplecti teneantur.

CCVIII. Enimvero I. etsi opinio, quæ videtur minus probabilis, absolute & evidentè falsa dici nequeat; quando tamen comparatur cum probabiliori, ad falsitatem accedit magis, & in eo statu sine peccandi periculo probari amplius non potest. II. Nec ideo quidquam detrahatur libertati morali, quæ ad actiones æqualis bonitatis tantum pertinet, nunquam tamen omnem agendi regulam excludit. III. Qua fronte autem is legem sibi non esse promulgatam contendet, qui ejus existentiam affirmandam potius, quam negandam ipsemet confitetur? quod si in re dubia, quam paria utrinque momenta efficiunt, actionem veluti permissam suscipere minime licet, quomodo id, quod probabilius prohibitum esse iudicatur, facere licebit?



CCIX. Et quanquam IV. in dubiis præferenda esse benigniora facile concedamus, hoc tamen non eam vim habet, ut legem dubiam despiciere, & pro nihilo putare sit permissum; sed ne quis jura ambigua pro certis sumere, atque eatenus vel aliquem pœna afficere, vel actum quendam irritare moliatur: unde satis manifestum est, adductum juris axioma ad coercendam agendi licentiam, non vero ad vincula legum relaxanda pertinere. Si autem V. in legem pro viribus inquirere nimium onus esse judicetur, nulla jam erit tam crassa ignorantia, quæ hoc prætextu non possit excusari. Ceterum VI. quum judicium probabilius esse non possit, quin etiam tutius sit a falsitate, perpetui profecto atque inanes injicerentur scrupuli conscientiis, si quis opinionem sectari deberet minus probabilem, quod illam a defectu rectitudinis noscit esse tutiorem.

CCX. Postremum est, ut quæ *dormiens* sit conscientia, quæ *expergefacta*, videamus. Scilicet, uti in somno nullus est ratiociniis locus, ita conscientia eorum dormire dicitur, qui, quum inserviant affectibus, & toti a sensibus pendeant, ac imaginatione, curas & cogitationes in actionum honestatem, aut turpitudinem haud difigunt. Quoniam vero mala cum factis necessario copulata peccantem plerumque pungunt, mordentque: inde fit, ut conscientia soleat sæpius evigilare, donec longa



peccandi consuetudine occalescat, & instar carnis cauterio usæ sensus omnis stupore opprimatur.

C A P U T VI.

De juris naturalis partibus atque usu.

CCXI. Postquam imputationis & conscientiaæ doctrinam satis profecuti sumus, proximum est, ut de variis, quibus Jus naturæ constat partibus, deque ejusdem præstabilitate atque usu videamus. Nova hic nimirum se offert juris significatio, quæ cum obligationum & legum complexum seu systema, tum ipsam æqui bonique artem designat. Atque hæc ars est, quæ quatenus scientia cernitur & actione, vocatur *Jurisprudentia*, nec inconcinne definitur: *Habitus, obligationes, leges, & jura demonstrandi, iisque accomodandi species obvenientes*; quorum alterum ad theoriam, alterum ad praxim pertinet.

CCXII. Itaque illa legum & obligationum notitia, quæ ab experientia tantum usuque hauritur, etsi factis singularibus disceptandis sufficiat, attamen *Jurisperitia* dicitur non *Jurisprudentia*; hæc enim sine habitu demonstrandi intelligi non potest. Eam autem esse constat demonstrationis naturam, ut certis & indubitatis nitatur principiis, dein conclusiones legitimo ducantur nexu, denique principiorum, ac conclusionum inter se cohærentia
di-



distincte perspiciatur. Atque ita manifestum est, quodnam inter Jurisperitos, Juriscentes, & Jurisprudentes sit discrimen.

CCXIII. Sed ex variis legum complexibus totidem Jurisprudentiæ genera delapsa sunt. Quum enim obligationes & leges omnes primum in divinas & humanas, iterum diviniæ in naturales & positivas, tertium humanæ in multas adhuc formas dispescantur, etiam Jurisprudentia alia *divina* est, alia humana. Porro divina in naturalem & positivam, humana vero in tot novas abit partes, quot diversæ legum humanarum complexiones existunt. Ex quo satis explicari potest, cur veteres Jurisprudentiam in universum: *Divinarum & humanarum rerum notitiam, justis atque injustis scientiam*, descripserint. L. 10. §. 2. D. de J. & J.

CCXIV. Ex his autem elucet Jurisprudentiam naturalem, in toto suo ambitu acceptam, esse *habitum obligationes, leges, & jura naturalia demonstrandi, iisque applicandi obvientes species*, adeoque in omnibus versari officiis, quæ Deo, sibi, ac aliis deberi solius rationis usu intelligi potest. Quanquam enim nonnulli tam arctos fines constituant nostræ disciplinæ, ut nihil juri naturæ adversari putent, quod non ad alterius hominis tendat injuriam, hi tamen mihi a veterum ratione discedere; atque sine ulla sufficiente causa suspectum hocce studium invisumque facere videntur.



CCXV. Ecquis enim non iis succenseat, qui
 pium, honestum, atque æquum omne a ju-
 re naturali dicuntur excludere. Nam, quod
 ajunt, ista quidem se agnoscere officia, sed il-
 lorum tractationem ad alias spectare discipli-
 nas; an non intelligunt, ita hoc nostrum stu-
 dium nobilissima sua parte mutilari. Est pro-
 fecto verus Dei cultus omnium officiorum
 fundamentum, de quo, qui in Jurispruden-
 tia naturali agere prætermittunt, nec doctri-
 nam de legum conflictu penitus tradere, nec
 quam vim habeat invocatio summi numinis
 ad firmandam sermonis veritatem exponere,
 nec denique ipsam legem de non lædendis
 aliis sufficienti sanctione munire possunt. Of-
 ficia erga nosmet ipsos quod attinet, illa sic
 comparata sunt, ut re ipsa ab officiis erga
 alios homines non discrepent, immo vero
 hæc ab illis maximam accipiant lucem. Tan-
 dem officia imperfecta ideo saltem hic per-
 noscenda sunt, ut inde etiam officia perfecta
 eo facilius discernantur.

CCXVI. Status, vi cujus plures ad commu-
 nem quemdam finem unitis viribus obtinen-
 dum tendere obligantur, *Societas* generatim di-
 citur; hæc vel *absoluta* est, si ex sola hominum
 natura ad finem ultimum, id est divinæ glo-
 riæ illustrationem, conjunctorum pendeat, vel
hypothetica, si ab accedente quodam confocia-
 tionis facto simul consequatur. Obligationes
 & leges, quæ ad hominem solitarium, aut in
 so-



societate absoluta consideratum respiciunt traduntur in Jurisprudencia mere naturali ac sociali generatim, seu in jure naturæ *Ethico*; quæ vero ad societatem spectant hypotheticam, eæ in Jurisprudencia naturali *Sociali* strictius accepta pertractantur. Itaque pars prior officia hominis vel simpliciter, vel cum aliqua adjunctione præterquam sociali, pars autem posterior officia socii in arctiore significatione, scilicet hypothetica complectitur.

CCXVII. Quanquam vero fines, quorum gratia homines junguntur, varii sint atque multiplices, adeoque & plurimæ societatum formæ esse possint, eæ tamen quam maxime innotescunt, quæ vel in sobole procreanda, vel educanda, vel in operis pro rebus præstandis, vel in binis saltem ex hisce finibus obtinendis, vel denique in mutua defensione sine communi imperio efficienda occupantur. Unde & societates I. Connubialis, II. Parentalis, III. famularis seu herilis, IV. domestica, & V. anarchica sunt ortæ; quarum omnium obligationes, jura & leges jurisprudencia naturalis socialis, eademque *Oeconomica* universalis explanat.

CCXVIII. Ex ante recensitis societatibus potissimum major illa tandem coaluit, quæ vocatur *Civitas*, atque definitur: *Cætus hominum sui juris sub eodem summo imperio communis securitatis causa colligatus*. Quemadmodum vero hoc posito factò nova quasi materies subjecta est



est obligationibus & legibus naturalibus hypotheticis, ad quas nimirum *cives*, seu ii, qui in societatem civilem convenerunt, actiones suas componant; ita illarum legum complexus jurisprudentiam naturalem *Politicam*, sive *Jus Civitatis* universale constituit; quod a *Jure Civitatis* particulari, & cujusvis populi proprio probe distinguendum est.

CCXIX. Atque his quidem partibus absolvi jurisprudentia naturalis socialis potest. Sunt tamen nonnulli, qui *Jus naturale civitatis* in *publicum* & *privatum* dispescunt, *publicum* vocant, quod officia imperantium & subditorum, *privatum*, quod officia subditorum inter se, declarat. Quæ divisio etsi non omni careat fundamento; tamen naturalia harum legum principia in systemate *Juris civitatis* ita inter se cohærent, ut duplicem eorum instituere tractationem minime necessarium videatur. Sane & qui in domestica vivunt societate, neque si cum imperante, neque si secum invicem agant, mutuis & naturalibus carere officiis possunt; ast ideo nemini adhuc venit in mentem, ut duas eatenus legum naturalium æconomicarum disciplinas construeret.

CCXX. Fuere etiam qui ex nuda ECCLESIAE seu societatis ad Deum eodem modo colendum initæ notione, obligationes & leges naturales ecclesiasticas deducere, & ita jurisprudentiam socialem nova parte augere voluc-



luerunt: quum tamen quilibet homo naturaliter, & ante omnem introductam societatem cultum Dei pro viribus promovere teneatur; atque eatenus horum officiorum expositio ad Jus mere naturale pertineat: facile patet, ut nisi plures enumerentur cætus ecclesiastici proprietates, & ita magis ejus determinetur scopus, ex generali illa Ecclesiæ idea, nullæ prorsus novæ ac definitæ obligationes ecclesiasticæ intelligi possint. Quod si propior quidam exercendæ pietatis norma libero aut summi Numinis, aut hominum arbitrio statuta animo concipiatur, ea vero non erit naturalis, sed solum positiva.

CCXXI. Jus mere naturale ad omnes homines, quos nulla specialis tenet communio, pertinere supra vidimus: quum vero hi ipsi homines vel ut singuli, vel ut sociata quædam multitudo considerari possint, etiam Jurisprudentiam mere naturalis, cum leges atque obligationes singulorum hominum, tum quoque diversarum societatum in statu sociali universali inter se viventium exponit. Præter omnes autem laudatas societates præcipuæ ac maximæ sunt civitates, quæ etiam gentes vocantur, & ideo illa jurisprudentiæ naturalis pars, quæ in explicandis mutuis civitatum officiis versatur, *Juris gentium* nomine jam pridem innotuit. Quo cognito sane, quibus reliquæ minores societates nullius alterius im-

pe.



perio subjectæ, juribus invicem utantur, definire fuerit facillimum.

CCXXII. Ne autem qui latiore jurisprudentiæ naturalis ambitum complexi sumus, illam cum theologia naturali, ethica, œconomica, aut politica confudisse videamur, operæ pretium est, ut quidnam inter hasce disciplinas sit discrimen, ostendamus. Ac primo quidem ex theologia naturali doctrina de Dei existentia & proprietatibus hauritur; ast obligationes & leges naturales, quas cognitio contemplatioque auctoris naturæ suggerit, partem jurisprudentiæ naturalis constituunt. Quod si malunt nonnulli etiam de officiis adversus Deum agere in theologia naturali, eandem nobis non recusent libertatem, ut nos illa ad jus naturæ referamus. Utimur alioquin veterum exemplo, quod non pauci recentiores sunt secuti.

CCXXIII. Ethicam quod attinet; ea quidem in universum integram morum doctrinam complectitur, adeoque & jus naturale; minus late tamen in illam doctrinæ moralis partem, quæ hominis in statu mere naturali considerati propria est, accipi consuevit. Sed factò juris naturæ, & reliquarum philosophiæ partium divortio, ethicæ appellatione illa nobis venit scientia, quæ in modos, præsidia, & quasi artes inquirit, quibus ad ea faciendâ, quæ lege naturali præcepta sunt, vel omittendâ, quæ eadem sunt prohibita, facilius perveni-



nitur. Et ita quid inter jurisprudentiam naturalem & ethicam intersit, perspicue intelligi potest.

CCXXIV. Ita quoque in œconomica olim non modo, quæ in minoribus societatibus qua talibus bona essent vel mala, sed etiam qua ratione & via comparari ea bona, vel evitari mala possent, conjunctim explicarunt. Ex quo vero jurisprudentia naturalis œconomica in separatam redacta est disciplinam, id superest modo, ut œconomica moralis in artibus & præfidiis versetur, quorum ope legibus naturalibus œconomicis eo promptius obsequamur. Illi autem strictissimos œconomix ponunt limites, qui eandem res externas acquirendi, & rite administrandi scientiam definiunt.

CCXXV. Tandem illud antehac politicæ tributum est munus, ut cum jura & leges civitatum, tum hasce conservandi, ac perficiendi modos explanaret. Quia tamen ex juribus & legibus civitatum naturalibus jus publicum universale, & jus naturale gentium concinnatum est, id tantum erat reliquum, ut in politica strictius accepta artes & præfidia, quorum ope leges naturales civitatum impleri, ipsaque adeo societas civilis conservari ac perfici magis possit, docerentur. Et sane Jcti, quid civilibus sociis, quid gentibus inter se agere liceat, exponunt; an autem, quod lici-

E

tum



tum est, certo civitatis statui utile sit ac proficuum, a politicis expendendum est.

CCXXVI. Longe autem facilius est jurisprudentiam naturalem dignoscere a jurisprudentia divina positiva. Prior enim leges complectitur æternas ac necessarias, quæque ex ipsa Dei, rerumque conditarum essentia atque natura solius rationis usu intelligi possunt; contra posterior in legibus versatur extra naturam, ut nobis cognita est, petitis & eatenus fortuitis, seu voluntariis, quasque divina primum auctoritas, seu revelatio vel toti generi humano, vel alicui saltem genti patefecit.

CCXXVII. Verum gravis adhuc illa est disceptatio: an & quænam existant leges divinæ positivæ universales, quæ nimirum lumine rationis non innotescant, & tamen omnes obligent homines; quandoquidem illarum promulgatio, in veteri & novo testamento, illis, qui totum genus humanum repræsentabant, fuerit facta: quod quidem alii pluribus, alii paucioribus exemplis adserere conati sunt.

CCXXVIII. Contra alii ita ad objecta respondent exempla, ut vel leges universales esse negent propter necessariæ promulgationis defectum, vel negent esse positivas, quod sufficientem vim obligandi ex ipsa rerum natura haurire videantur. Cui quidem sententiæ, quod ad jus adamiticum, & noachicum attinet, facile adstipulamur; adductæ enim propositiones, nisi congenito hominum sensu

con-



continentur, vel non sunt obligatoriæ, vel peculiari tantum genti a Deo fuerunt manifestatæ.

CCXXIX. Diversa est omnino legum evangelicarum ratio. Præterquam quod enim divinus Redemptor naturæ leges summa circumfudit luce, præcepta quoque dedit de mysteriis ac sacramentis, quæ humanam utique superant rationem, hæcque omnia per universum orbem prædicari diserte mandavit; quocum ad æternam beatitudinem consequendam monstraretur via, tum jura naturalia præmiis ac pœnis omnium maximis munirentur. Quin igitur leges evangelicæ juris positivi universalis nomen mereantur, nefas esset dubitare.

CCXXX. Atque ex his abunde colligitur immane quantum a vero aberrare illos, qui juris naturæ disciplinam vel jam constitutis civitatibus, vel latis evangelicis legibus, inanem atque supervacaneam esse arbitrantur. Quum enim præcepta naturalia, a quibus omnes actiones nostræ liberæ aliquam accipere debent normam, nulla pœnitus ætate tolli, aut abrogari possint: consequens est, ut illorum cognitionem ac studium neque obliterari fas sit, neque usum aliis novis sancitis exolescere unquam liceat. Sed nec is est Evangelii vel legum civilium scopus, ut negotia regant populorum, quod munus sibi vindicat scientia juris naturalis, quæ cum variis theologis quæstionibus lucem fæneratur, tum maxime ceteris omnibus jurisprudentiæ par-



tibus adeo facem præfert, ut ea destituti, non solidam expressamque Justitiæ effigiem tenere, sed umbra tantum vanisque imaginibus uti videantur.

CCXXXI. Sed non abs re erit de hoc argumento differere paulo latius. Non equidem inficiamur pauciores esse hodie homines, qui vivant in statu naturali, attamen populorum Rectores primæva adhuc utuntur libertate. Itaque illorum obligationes & jura, quæ speciali quodam facto nondum satis determinata sunt, ex jure, partim simpliciter naturali, partim publico universali, omnino sunt discenda. Certe jura civilia non imperantium, sed subditorum actiones moderantur; sacri autem codicis auctoritatem neque agnoscunt omnes, nec qui agnoscunt, ignorare debent esse aliquid justum & injustum ante omnem revelationem; hanc vero non tam ad negotia hujus vitæ, quam ad alium longe præstantissimum finem pertinere.

CCXXXII. Ita & omnes civiles societates statum naturalem inter se tuentur, quum tamen sæpissime invicem agere, & aliquando incidere in controversiam soleant, certa utique est opus communi norma, ad quam hujusmodi negotia exigantur. Quod subsidium, quia nunquam sin jure civili, nec semper in doctrina evangelica reperitur, illud tantummodo reliquum est, ut ad leges naturales, quæ sub nomine juris gentium veniunt, velut ad uni-



universalem omnium populorum regulam recurramus; cujus ignoratio quo majores peperit læsiones & clades, eo insignior est ab illius doctrina rite exposita utilitas.

CCXXXIII. Etsi vero civitates publica jura tam interna, quam externa aliquando sibi constituent, ea tamen tantum sunt particularia, atque adeo definiendis quibusvis speciebus obvenientibus minime sufficiunt. Sane jus particulare universali tantum est superadditum, quemadmodum igitur partes generi subjectæ non prius intelliguntur, quam distincta ipsius generis notio habeatur; ita & omnia jura particularia ex principiis juris universalis necessario declaranda sunt. Quod porro etiam in jure publico particulari, & in gentium arbitrario observare oportet; ne secus in turpes ac perniciosos errores rapiamur.

CCXXXIV. Id vero exacta juris naturalis cognitio præstat theologiæ positivæ, ut non modo sufficientis præmii vel pœnæ naturalis in mortali hac vitæ defectus, & porro vitæ alicujus futuræ imo & revelationis necessitas intelligatur, sed etiam ut mira Evangelii, cum recta ratione in doctrina morum conspiratio plenissime eluceat. Quod si vero inter leges, quas naturalis ratio suggerit, & quæ sacris continentur codicibus, aliqua se offerat diverfitas, vel opinata quædam appareat repugnantia; tum quidem solida juris naturæ principia presto esse oportet, nec enim aliter veri-



tatem perspicuo intueri, nec, quæ in contrarium existunt, dubitationes explicare facile licebit.

CCXXXV. Iis porro, qui in dirigendis aliorum conscientiis, atque in doctrina, quam vocant, casuistica, versantur, nisi scientia juris naturalis probe sint imbuti, aquam sæpius hærare necesse est. Quum enim facta omnia singularia vel memoria discere, vel intelligentia prævidere nullus homo possit; quotiescunque nova causa, consultatiove acciderit, ea profecto ad principia legum universalium exigenda est, ut inde demum, quid justum sit, quidve injustum, certo colligatur. Sed & eo spectat rationis lumen, ut, quæ propter indifferentiam objectivam aliter quidem determinari poterant, si tamen determinata non sunt, juribus universalibus attemperentur.

CCXXXVI. Quanquam vero leges naturales non ex auctoritate, sed ex suis ac domesticis principiis derivandæ sunt, nihilominus plura suppeditant sacræ litteræ secundaria argumenta, quibus aliquid jure naturali vel præceptum, vel prohibitum, vel etiam permissum esse arguamus. Idem enim est sapientissimus rationis ac revelationis Auctor, quem a semetipso dissentire, & leges essentia immutabiles tollere omnino repugnat. Ex quo triplex illa elicitur argumentandi ratio: ut I. nihil, quod in sacris litteris præcipitur, lege naturali prohibitum, II. nec vicissim quod iis prohibetur, hac-



hacce esse præceptum possit. III. Id vero, quod in divinis Pandectis permissum esse legimus, etiam jure naturali licitum esse oportebit, si facer̄ textus, de plena, quæque etiam in foro interno obtineat, permissione loquatur. Secus autem foret, si permissio tantum esset minor plena, & non nisi pro foro externo impunitatem tribueret.

CCXXXVII. Leges mere civiles omnes sunt particulares, igitur ad jus universale tanquam rivuli ad fontem suum referendæ sunt. Speciatim vero jus civile romanum magnam partem collectum est ex præceptis naturalibus; quare qui ad horum normam loca vel supplet prætermissa, vel declarat ambigua, errare nullo pacto potest. At multa quoque occurrunt populi romani scita, quæ tantum arbitraria sunt, quædam autem quæ plane a ratione abhorrent; cuinam vero vel priora a legibus necessariis discernere, vel posteriora corrigere sine jurisprudentia naturali licebit?

CCXXXVIII. Inter juris civilis capita illud postremum non est, quod leges continet de delictis & eorum pœnis descriptas, vulgo criminales. Qua in re imprimis malefactorum veritas & magnitudo, tum quantitas imputationis, & denique pœnarum modus finesque diligentissime pernoscenti sunt, quo Justitiæ ultrici examissim possit satisfieri. Quum igitur harum materiarum principia tradantur in juris naturalis disciplina: non obscurum



est, illius studium etiam in Jurisprudentia criminali utramque facere paginam.

CCXXXIX. Jus ecclesiasticum partim ex legibus divinis tam naturalibus, quam positivis, partim ex constitutionibus humanis coalluit. Ex quo conficitur, ut quæ de usu jurisprudentiæ naturalis cum in theologia, tum in jure civili ante tradita sunt, ea omnia etiam in jure ecclesiastico obtineant. Sed & id maxime præstat juris universalis scientia, ut limites inter ecclesiasticam potestatem a Christo institutam, & civile imperium nullo negotio statuantur. Illa enim non tam corpori, quam animo, & fini, qui humanam excedit intelligentiam, destinata est; hoc vero ad scopum spectat ratione sola cognitum, nec actiones mere internas moderatur, quapropter, posita licet revelatione, firmum tamen ac stabile permansit. Ex quorum principiorum neglectione, incredibile dictu est, quanta malorum copia sit exorta.

CCXL. Ceteros legum ab hominibus scriptarum complexus silentio præterimus, satis enim ex dictis intelligi par est, cur in quovis recte obeundo Jurisprudentiæ munere, Juris naturæ studio carere nemo possit. Illud addeamus modo, hujus disciplinæ adminiculo varios quoque populorum mores, an cum ratione consentiant, vel eidem repugnent, expendi oportere. Quanquam enim magna sit morum, seu consuetudinis auctoritas, quæ du-



citur a vetustate, nunquam tamen adeo valitura est, ut naturalem evertat honestatem seu Justitiam. Quare hujusmodi consuetudo non inter agendi regulas usu receptas, sed inter vitia & corruptelas erit referenda.

CCXLI. Denique si jus constitutum non quavis auctoritatis trutina, sed rationis statera examinari opus est, constituendi quoque juris ab illa summa lege capiendum est exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas sociata. Quæcunque enim facta naturalem lædunt justitiam, ea nullius legislatoris jussu cohonestari possunt. Atque ex his omnibus perspicuum est, inesse quidem in quavis Jurisprudentiæ parte suam dignitatem, usumque, nullam tamen cum hac nostra, si quis legum fontes & capita viderit, vel principiorum amplitudine, vel utilitatis ubertate esse comparandam.

CCXLII. Quænam vero methodus tradendis naturæ præceptis sit accommodatior, adhuc hodie disceptatur inter doctos. Alii enim scholasticam, alii mathematicum esse præferendam putant. Quum autem naturæ leges sint veritates necessariæ, & scientiam veri nominis constituent, in aperto est methodum mathematicam ad juris naturalis disciplinam omnino pertinere. Sed etiam veteribus ea probata est docendi ratio, ut jactis certis principiis conclusiones legitimo ratiocinandi nexu



depromatur. Illud tamen facile damus in libris usui discentium & methodi parum peritorum destinatis a summo demonstrandi rigore satius abstineri.

CAPUT VII.

De ortu & progressu Jurisprudentiæ naturalis.

CCXLIII. Legum naturalium cognitio ab ipsis mundi incunabulis est repetenda: siquidem cum ADAMO ortæ sunt communes iuste honesteque vivendi notitiæ.

CCXLIV. Qua ratione vero & a quibus viris I. inter varias gentes exculta fuerit, tum II. Philosophica methodo una cum Ethica tractari, tandem vero III. in peculiarem redigi disciplinam cœperit, id nos docet historia juris naturalis.

CCXLV. Hanc quidem expenderunt plures, sed a sacris nostris tantum non omnes alieni, qui porro propriæ inservientes Sectæ extra rhombum vagantur, & scommata in Catholicos passim inspergunt.

CCXLV. Prima vero hujus juris cordibus nostris inscripti tradendi ratio a peculiari ipsius *supremi Numinis revelatione* recte arcessiri potest. *Ecclesiast. VII. v. 1. seqq.*

CCXLVI. Quæ dein parentum traditionibus per SETHI posteros usque ad NOACHUM constanter traducta est.

CCXLVII.



CCXLVII. Huic post diluuium naturalium legum compendium in *septem præceptis* datum gratis venditant Rabbini.

CCXLVIII. Ast non minorem ideo legum naturalium culturam adhibuerunt SEMI descendentes, uti ABRHAMUS, ISAACUS, JACOBUS, JOSEPHUS, a parentum simul ac ipsius æternæ veritatis ore instructi.

CCXLIX. JOBUM quoque, licet extra familiam Israelis positum, leges naturales optime intellexisse, immo melius, quam ex Noachidarum præceptis, *ex ejus libro* systema redigi posse non dubitamus.

CCL. Antiquata vero inde naturæ dogmata Deus ipsemet, MOYSIS usus ministerio, in populi electi cordibus per *Decalogum* renovavit.

CCLI. Ea latius explicarunt PROPHETÆ, aliique viri sapientes, inter quos eminuit SALOMON, boni malique discrimen ab Auctore naturæ luculentissime edoctus.

CCLII. Deficientibus autem Prophetis SACERDOTES, SCRIBÆ & PHARISÆI cuncta Juris naturalis principia inanibus subtilitatibus corruerunt.

CCLIII. Interea inter gentes, quæ legem scriptam non habebant; ea, quæ legis naturæ sunt, sæpe facta fuisse novimus: & de CHALDEIS quidem illud saltem certo constat, eos veri Numinis cultum *symbolica methode* ad filios transmisisse.

CCLIV.



CCLIV. ÆGYPTII porro non pauca Juris naturæ præcepta *legibus civilibus* inculcaverunt: etsi in turpes quandoque errores sint prolapsi illorum SACERDOTES potissimum.

CCLV. Ab Ægyptiis sua verosimilius sumferunt ÆTHIOPEs, propter summam æquitatem celebres, quam itidem *Ænigmatibus ac Symbolis* docuerunt.

CCLVI. PERSÆ in multis quidem hallucinati sunt, non penitus tamen Juris N. rudes illorum MAGI exstiterunt.

CCLVII. Magnam quoque sapientiæ famam consecuti sunt INDORUM BRACHMANES seu GYMNOSOPHISTÆ, sed speciosæ erant illorum virtutes, nec mores semper rectæ rationi conformes, quo pertinet licita apud illos Autochiria.

CCLVIII. *Poetica suavitate & apophtegmatibus* suas morum doctrinas propagarunt VETERES ARABES, Regina SABÆ ac MAGORUM ad Bethlehemiticum præsepe venientium historiis illustres.

CCLIX. Potissimum autem animi candore inclaruerunt SCYTHÆ HYPERBOREI, quorum justitia velut innatum ac *gentile patriæ insigne* a scriptoribus celebratur.

CCLX. Distinguuntur ab iis CELTOSCYTHÆ, apud quos DRUIDÆ moralem exercebant disciplinam, variis autem fraudibus ac impiis opinionibus corruptam.

CCLXI.



CCLXI. Idem erat Druidum apud GERMANOS, aliosque Aquilonares populos munus, qui propter naturalium legum observantiam præclara Taciti elogia promeriti sunt.

CCLXII. Omnes vero has barbaras nationes superasse a plerisque crediti sunt SINENSES, ex quo CONFUCII libri ante duo milia, & quod excurrit, annorum scripti, in Europa apparuerunt; pulchrum sane fuerat illius justitiæ principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CCLXIII. Moralis doctrinæ semina a Barbaris acceperunt GRÆCI, per vetustissimos inde *Legistatores Poetasque apologorum dulcedine, fabulosis carminibus & musica harmonia magis magisque propagata, donec in turpem Idololatricam abiverunt.*

CCLXIV. Et multorum quidem iudicio HESIODI poëma *opera & dies*, ut perfectum Ethices opus laudatur, ast genuina ibi Juris naturalis principia haud inculcari, lector præjudiciis vacuus facile animadvertet.

CCLXV. Melius de HOMERI *Iliade & Odyssæa* iudicium ferri potest: illis tamen non assentimur, qui amplissimam inde justitiæ messem colligi posse tradiderunt.

CCLXVI. Hos secuti sunt SEPTEM SAPIENTES, a dictorum moralium acumine potissimum hoc nomine ornati: nec immerito, siquidem & nostris temporibus unicum THALETIS symbolum: *γῶδι σεαυτοῦ, νοσσε*
te



te ipsum, commodissimum Jurisprudentiæ naturalis principium cuiquam est visum.

CCLXVII. Ad eandem ætatem referendus est ÆSOPUS, *fabulis* commendandæ justitiæ aptissimis clarus.

CCLXVIII. Nec defuere interea inferiori Italia justitiæ præcones, postquam PYTHAGORAS, Samo Crotonam delatus, primus, teste Aristotele, philosophiam moralem excoluit.

CCLXIX. Quod Pythagoras in inferiori Italia, idem præstitit in Græcia præstantissimus morum magister SOCRATES, philosophia a rebus naturalibus ad communem vitam adducta.

CCLXX. Nec suis fraudandi sunt laudibus ANTISTHENIS PLATONISQUE, tum ACADEMICÆ STOICÆQUE scholæ labores: quamvis & isti egregias doctrinas crassis aberrationibus coinquinarint.

CCLXXI. Ast longe pejor fuit Epicureorum grex; quicumque enim illorum doctrinis statui sensus velit, id firmum manet, EPICURUM Jus Naturæ re ipsa sustulisse, dum, negata Dei providentia, leges ex sola imaginaria hominum utilitate derivavit.

CCLXXII. Prodiere ex Stoicorum secta plerique jcti ROMANI, in quorum non minus, quam in CICERONIS libris *de officiis* æquitas naturalis ubique elucet.

CCLXXIII.



CCLXXIII. Tandem grassantem adhuc super universum terrarum orbem ignorantiam dispulit DIVINI SALVATORIS adventus, ac labefactatum rationis lumen sanctissimis præceptis illustravit.

CCLXXIV. Christum imitati postea primi ECCLESIAE PATRES, sacram scripturam cum rationis principiis conjunxerunt, quam methodum mores emendandi, qui confusio- nem vocant, nec temporum illorum habent rationem, & insanum calumniandi pruritus producit.

CCLXXV. Quæsiere plures laureolam in eo mustaceo, ut doctrinam Patrum veluti falsis refertam sententiis exagitant: nos quidem humanum nihil ab illis alienum putamus, plerosque tamen, qui illis obijciuntur, errores impudenter & mala fide adfectos esse, manifestissimum est.

CCLXXVI. Simili maledicendi rabie eos delirasse oportet, qui insignia DOCTORUM SCHOLASTICORUM in Jurisprudentia Naturali merita deprimere studuerunt, quod vel collato D. THOMÆ L. I. *Eth. Lect.* cum THOMASII *historia J. N. C.* 4. §. 30. apparet.

CCLXXVII. Quare missis nugis, salebris, glandibusque, quod temporis etiam fuerat vitium, optimas fruges in illis inveniri, & res ipsa loquitur, & viri in hac scientia principes luculenter experti sunt.

CCLXXVIII.



CCLXXVIII. Frustra quoque in medium proferuntur errantes multorum ex iis opiniones, quasi Juris naturæ scientiæ plurimum officissent; has enim statim diris devovit Ecclesia, quo freno contra hujusmodi sententiarum monstra sectarii semper inter suos caruerunt.

CCLXXIX. In specie vero multum promeriti sunt de J. N. disciplina non modo FRANCISCUS VICTORIA, OLDENDORPIUS, ALBERIC. GENTILIS, sed etiam, quem omnes Historiæ Juris naturæ scriptores silent, RAIMUNDUS DE SABUNDE in *Lib. de Nat. hominis* sub initium sæculi XV. edito; & ex protestantibus HEMMINGIUS, WINKLERUSQUE.

CCLXXX. Hos tamen longe post se reliquit HUGO GROTIUS compositis, editisque *Paris. A. 1625. Libris tribus de Jure Belli & Pacis*, cujus operis auctor suasorve ipsi fuerat PEIRESCIOUS Galliarum Regis minister.

CCLXXXI. Atque ex his evidenter colligitur, Pythagoræorum ac recentiorum Platoniorum vestigia legere illos, qui a suo, nescio cujus, reformationis Auctore, uti lumina omnia, ita primam jurisprudentiæ naturalis culturam repetere perfricta fronte sustinent; quid enim a naturæ legibus magis abhorret, quam vota sua non reddere Domino, liberumque hominis arbitrium eliminare?

CCLXXXII.



CCLXXXII. Eximium Grotii opus alii *Commentariis Notisque* illustrare, alii in *Epitomen* redigere, alii in suas linguas vertere studuerunt; nemo tamen a carpendo abstinuit. Mirari porro licet altum illorum supercilium, qui *Romane Censuræ* iudicium ægre ferunt, paucas solummodo male sanas propositiones respiciens.

CCLXXXIII. Grotii æmulatione excitatus SELDENUS Anno 1640. jus naturæ *septem Noachidarum* præceptis, summa licet eruditione, incassum tamen conatus est adstruere.

CCLXXXIV. Multo magis quidem cohererent HOBBSII *Elementa philosophica de cive*, biennio post, anno scilicet 1642. *Parisiis* edita. Quum tamen falsis nitantur principiis, ita & non paucæ conclusiones inde desumptæ ejusdem sunt farinae.

CCLXXXV. Merito itaque in Hobbessii paradoxa plures calamum strinxerunt, omnium vero optime, & magna ingenii vi RICH. CUMBERLANDUS illius errores labefactavit; lutulenta tamen ac involuta usus oratione, & incongruis sæpe argumentis.

CCLXXXVI. Præclaras iudicii & eruditionis dotes, domesticaque argumenta attulit ad hanc scientiam SAM. PUFENDORFIUS, cujus opus de *J. N. & Gent.* anno 1672. Londini Scanorum, hujus vero compendium anno sequenti in lucem prodiit. Ut tamen heterodoxas illius opiniones, tum multos alios a suis etiam reprehensos & obvios nævos præ-



tereamus; id tantum observamus, multa illum a Scholasticis, quos tamen ubique illiberaliter contemnit, esse mutuatum.

CCLXXXVII. Plures nactus est rusticos atque indoctos adversarios Pufendorfius: illos vero tam acerbo excepit stylo, ut teste Thomasio in *Historia Juris Nat.* fieri non posse videretur, ut homo anima rationali præditus tantopere insaniret.

CCLXXXVIII. Pufendorfio adhæsit THOMASIVS in *Institutionibus Jurisprudentiæ divinæ* A. 1688. editis, quas tamen postea destruxit in *fundamentis Juris naturæ & regulas pii, justî, honesti & decori* surrogavit; vir doctrinæ laude insignis, sed alias inconstantissimus, dicacitate, satyra, maledicendique arte nulli secundus, & larvas ubique sibi fingens.

CCLXXXIX. Pufendorfium & Thomassium secuti sunt inde plerique J. N. cultores; & quidam priorem notis declararunt, quidam ambos in suos libros digesserunt, alii vero & nova systemata elaborarunt. Inter hæc GUNDLINGII, HEINECCII, & GLAFUSII libri non extremum obtinent locum.

CCXC. Magno vero applausu eruditi exceperunt duo illa systemata; unum, quo CEL. WOLFIUS tum in magno opere VIII. Tom. in 4to. tum in hujus Epitome omnia hominis officia, methodo vere scientifica, & Pythagoræ jam commendata, deduxit, plures nactus affectas; alterum, quo SAM. L. B. DE COCCEII
jus



jus naturale cum romano conjunxit, hocque ex illo mirifice confirmavit.

CCXCI. Est sane methodus a Wolfio introducta, ad eruendas, & confirmandas veritates morales aptissima; quemadmodum KOELERI & DARIESI insignes elucubrationes, tum editi a SCHIERSCHMIDIO, ACHENWALDIO, NETTELBLADTIO aliique libelli factis docent. Mirum porro non est, eam methodum Germaniæ scholas tantum non omnes breviter occupasse & in dies magis dilatari.

CCXCI. Gallorum in jure naturali studia non modo Grotii & Hobbessii libri, Parisiis primum vulgati, tum repetitæ Gallicarum versionum Grotii, Pufendorfii & Cumberlandi editiones, sed etiam DOMATI labores, laudes BURLAMAQUIO in gallicis diurnis eruditorum marito tributæ, recens denique liber, cui titulus: *Essai sur les principes du droit & de la morale par Mr. d'AUBE*, satis testantur.

CCXCIII. Opus vero de legum causis quod attinet, a Cel. MONTESQUIO vulgatum, eam præcipue Jurisprudentiæ naturalis partem complectitur, quam privatam universalem supra vocavimus. Plures tamen auctori doctissimo nævos excidisse, non ab uno, aut unius sectæ viro ostensum est.

CCXCIV. Vidit & Russia STRUBII J. N. systema: nec suis caruit Italia jurisprudentiæ naturalis cultoribus, uti vel ex Heineccii elementis J. N. ibidem recusis, tum ex P. AN-



SALDI, ANTON. GENUENSIS, utriusque Dan. & Nic. CONCINÆ aliisque operibus adparet.

CCXCV. Atque jam pridem in Academiis nostris *Friburgensi* & *Oenipotana* tradita fuerat Jurisprudentia naturalis, quod postea etiam in *Pragensi* tum in hac *Vindobonensi* Anno 1754. publice fieri cœpit.

CCXCVI. Nunc defuerunt & præclaræ huic arti tam vetere quam nostro ævo sui osores, sui que corruptores. Ceterum promissas a Triumviris in Reipublica literaria celeberrimis ulteriores juris naturæ meditationes non sine aviditate adhucdum præstolamur.

CAPUT VIII.

De officiis erga Deum.

CCXCVII. Tria esse vidimus legum naturalium objecta, Deum, nosmetipsos, atque alios homines. Itaque Jurisprudentia naturalis præceptiva triplici tractatione absolvitur; quarum prima in officiis erga Deum, altera in officiis erga nos ipsos, tertia in officiis erga alios tam absolutis quam hypotheticis verfatur.

CCXCVIII. Etsi enim scientia de Deo atque ejus attributis ad Theologiam naturalem pertinet, tamen normam exponere, cui actiones nostræ liberæ intuitu Dei sola ratione cogniti
at-



attemperari debent, id proprium est nostræ disciplinæ.

CCXCIX. Quum enim, quod supra ostensum est, actiones nostras ad finem creationis ultimum, qui est divinæ gloriæ illustratio, dirigere obligemur, lex prima naturæ est, ut ante omnia veram certamque Dei cognitionem habeamus, hinc ejus existentia, æternitas, infinitudo, unitas, independentia, incomprehensibilitas, omnipræsencia, omniscientia, omnipotentia, veracitas, summa bonitas ac justitia, tum creatio, ac providentia nobis sint perspectæ.

CCC. Nec divinæ huic providentiæ mala, quæ experimur in hoc universo, adversantur. Nam 1.) *malum metaphysicum* est in rerum creaturarum limitatione, & hoc abesse nequit, secus omnia entia deberent esse infinita; 2.) *malum morale* venit ex abusu libertatis, quod si impediret Deus, tolleretur etiam *bonum morale* & hominis naturam, quæ debet esse libera, & ad merendum demerendumque idonea; 3.) *malum physicum*, dolores & morbi, sunt mali moralis effectus: ergo hæc mala permittere erat divinæ Sapientiæ convenientissimum.

CCCI. Necessariæ huic Dei cognitioni maxime repugnat primo Atheismus, dein Polytheismus, Idolomania, quum nimirum creaturis, soli, lunæ, divinitas tribuitur, denique fatum Stoicum, Epicureismus, aliaque hujusmodi opinionum monstra.



CCCII. Ex naturali cognitione veri numinis *vera* etiam *naturalis Religio*, sive determinatus Deum colendi modus, descendit; colimus vero Deum, si actiones nostras liberas determinamus per motiva ex divinis perfectionibus desumpta, & ita divina attributa manifestamus. Est autem hæc divinæ gloriæ illustratio; quæ fieri aliquid addendo Enti infinito non potest; sed fit declarando, quod Deus pro tali infinito ente agnoscatur.

CCCIII. Qui Deum colit, divinas perfectiones imitatur, sese porro atque hoc universum perficit, & ad summum bonum, quantum in se est, accedit. Quum autem ad bonum & perfectionem adipiscendam obligemur, & quidem eo magis, quo majus est id bonum, etiam ad Deum colendum obligatione omnium maxima nos constringi manifestum est. v. Cic. de N. D. I. 41.

CCCIV. Actiones nostræ, quas Dei causa edimus, vel internæ tantum, vel etiam externæ esse possunt; quare & Dei cultus in *internum* & *externum* recte distribuitur.

CCCV. Partes cultus interni fluunt ex divinis attributis; suntque α) amor Dei, seu summa voluptas & delectatio ex infinitarum perfectionum & maximæ in nos bonitatis contemplatione orta.

CCCVI. β) Reverentia seu *timor filialis*; ex amore enim sollicitudo animi nascitur nil faciendi, quod voluntati entis benignissimi, sanctif-



Etissimique adverteretur, aut si quid factum, pœnitendi & veniam deprecandi. Opponitur hic *timori servili*, si quis Deum timet propter pœnas tantum; qui nudus timor cum odio conjunctus est & averfatione. v. Cic. de Off. II. 7.

CCCVII. *γ) Fiducia & acquiescentia in Deo*, cum quis se & res suas divinæ providentiæ committit. Ens enim omniscium, omnipotens & optimum nescit indigentias nostras, eisque potest ac vult subvenire, quantum salva ejus sapientia fieri potest. Quare Deum corde & mente invocare debemus, ut, quæ nobis bona sunt, tribuat, mala depellat, aut si hæc obveniunt, in bonum finem dirigat.

CCCVIII. *δ) Obedientia & Obsequium*. Is enim obsequitur, qui agit, quod alter vult, & omittit, quod alter non vult. Quum porro Dei voluntas, quatenus ratione cognoscitur, sit naturalis actionum nostrarum regula, cujus custodiam præmia, transgressionem pœnæ comitantur, patet eidem esse obsequendum.

CCCIX. Is gloriam Dei obscurat, qui ea agit, quibus declarat se Deum non habere pro tali numine, quale revera est; veluti: *impietate, odio Dei* tamquam criminum vindicis, *irreverentia, desperatione, acedia, inobedientia*, aut negatione divinæ providentiæ, quasi non curaret res humanas, nec pœnis homines refractarios afficere Dei bonitati conveniret; uti & hodierni cogitant Epicurei. v. Horat. I. Ep. 16. v. 51.



CCCX. Quoniam igitur Dei gloriam illustrare, & eum colere obligamur, consequens est, non sine summo scelere Dei gloriam obscurari. Et quum actiones positivæ supponant occasionem, negativæ vero in nuda omissione consistant, facile intelligitur, cur Dei gloriam *illustrare semper*, eam vero *non obscurare semper* & pro semper teneamur.

CCCXI. Uti omnes actiones nostræ in fine ultimo consentire, ita etiam actiones externæ ad cultum Dei concurrere debent. Præterquam quod enim Dei gloria aliter manifestari nequeat, frigescere quoque internum affectum necesse est, nisi in externum gestiat prorumpere. Sed & sæpius distractionibus impedimur in interno cultu; siquidem imaginatio facile a sensatione vincitur; fit itaque fortior tunc imaginatio, si cum illa actus externi conjunguntur.

CCCXII. Partes cultus externi a cultu interno derivantur, eumque efficiunt *a) celebratio divini nominis*, seu laus Deo tributa, quod bona contulerit, mala declinarit, aut in bonum finem converterit. Quorsum spectant orationes, quæ pro bonis a Deo obtinendis, *supplicationes*, de declinandis malis, *preces*, de grato animo declarando, *gratiarum actiones*, de intercedendo pro aliis, *interpellationes* vocantur. *1. Tim. II. 2.*

CCCXIII. *b) Hymni*, quibus Deus laudatur, excitatur attentio, & moventur affectus.



tus. γ) *Conventus in templis*, ut alii etiam homines ad Dei agnitionem & obsequium exemplo perducantur, quare tempus, locus, modus determinari debet, quo tales conventus rite instituantur.

CCCXIV. δ) *Imagines & ceremoniæ*. Sunt enim signa eorum, quorum in executione negotii alicujus recordari debemus: ergo adhibendæ, ut revocent nobis in mentem divina attributa; ex quo etiam fluit, imagines in Ecclesiis, tum vera virtutis exempla in Monasteriis multum ad augendum Dei cultum conferre.

CCCXV. Externum cultum destruunt 1.) *Blasphemia* seu dictum vel factum in contemptum Dei vergens. 2.) *Idololatria*, quum cultus divinus exhibetur creaturis. 3.) *Religio politica*, quæ est externa pietatis simulatio sine interna, vel ob utilitatem, *hypocrisis*, vel ob vanam gloriam, *Pharisaismus*.

CCCXVI. 4.) *Pietas mechanica*, & *preces mere formulariæ*, quas dum os e memoria profert, mens alio divagatur; aut cum bilis pro zelo, tristitia pro amore Numinis, paroxismi hypochondriaci pro pugna cum dæmone habentur. 5.) *Pudor pietatis*, cum bene agere aut orare; aut Deum confiteri quis erubescit.

CCCXVII. 6.) *Superstitio*, quæ est actio per erroneam Dei cognitionem determinata, quando α.) falsa Deo affingimus prædicata, v. g. *Deum non punire vel irasci*. β.) Si effectus per Deum solum possibiles creaturis tribuamus.



γ.) Si ex veris perfectionibus divinis falsa confectaria deducantur veluti si vana quærantur miracula, vel e divina bonitate & providentia quis inferret, non opus esse industria nostra. *Vid. Salust. Cat. 56.*

CCCXVIII. Religionis naturalis maximus est usus, siquidem confirmat religionem revelatam, veramque a spuria discernit; nam omnis, quæ cum ratione pugnat revelatio, ea a veritate penitus abhorret. Præterea religio naturalis eos quoque, qui auctoritatem non agnoscunt sacrarum litterarum, aliquo tamen vinculo & fræno coercere potest.

C A P U T I X.

De officiis erga seipsum.

CCCXIX Homo obligatur Dei finibus convenienter vivere, atque appetere, quod sibi bonum est, sive ad status sui perfectionem & felicitatem conari, adeoque se amare, quatenus id ad divinæ gloriæ illustrationem tendit; ergo existunt officia, quæ homo sibi ipsi debet.

CCCXX. Constat homo anima, corpore, statuque externo, quo res, atque existimatio referuntur. Quilibet ergo studere debet, ut α) bona animi, β) bona corporis, & γ) bona status externi, quæ in potestate ipsius sunt, consequatur, & mala evitet.

CCCXXI. Qui nescit, quibus facultatibus sit instructus, & quarum perfectionum capax sit



fit aut imperfectionum, is, quæ sibi bona sunt, appetere, & quæ mala, fugere nequit; tenetur igitur quivis seipsum noscere, & alios simul spectare, qua ratione perfectiores fiant aut imperfectiores.

CCCXXII. Perfectio animæ petitur a cultura facultatis cognoscitivæ, & omnium ejus partium tam superiorum, quam inferiorum, nimirum ut veritatibus & præcipue boni mali-que notitia imbuamur, ignorantiam vero, errorem, & confusionem in cognitione depellamus. Hinc generatim danda est opera, ut vitetur facultatum neglectus, aut dissensus in agendo; Speciatim vero ut ea addiscantur, quæ ad statum & finem cujusvis particularem pertinent. Fieri enim non potest, ut in tanta humani ingenii imbecillitate & brevitate vitæ distinctam omnium disciplinarum vel artium cognitionem acquiramus. Quare necessaria utilibus, utilia vero jucundis præferenda sunt.

CCCXXIII. Eadem cura haberi debet facultatis appetitivæ, ut determinetur ad appetendum per verum bonum, ad averfandum per verum malum, adeoque etiam affectus, qui ex cognitione confusa ortum trahunt, compescantur. v. Papin. Stat. Theb. L. X. v. 626.

CCCXXIV. Obligatio ratione corporis est pariter duplex. Vel generalis, & communis, ut omnes ejus partes ac membra apta fiant ad suas functiones, adeoque sana conserventur, simulque, agilitate & decora quadam ele-
gan-



gantia gaudeant; vel *specialis* ac propria, ut illi adquirantur corporis habitus, qui finibus & circumstantiis cujuslibet congruunt.

CCCXXV. Et quum dato jure & obligatione ad finem etiam jus & obligatio ad media competat, patet: jus cuique dari ad cibum & potum necessarium, ac salubrem, ad medicamenta, vestes, habitationem, & quæ hujus sunt generis, atque ut eadem acquirat & impendat, quemlibet obligari.

CCCXXVI. Vetita vero semper est *autochiria*, seu sui ipsius occisio. Autochir enim violat legem fundamentalem: *perface te*; stationem suam deserit sine jussu imperatoris Dei; ejusque adeo gloriam desperatione maxime obsecurat, quemadmodum ipsi Ethnici, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Cicero ac Cæsar agnoverunt. *v. Cic. Somn. Scipion. c. III.*

CCCXXVII. Nec obstat, quod mors sæpe malum minus esse, ergo præferri posse videatur. Major etenim hominis imperfectio physica cogitari non potest, quam naturæ humanæ dissolutio, quum omnis perfectio corporis præsentis perdatur. Quod vero Samson se ipsum occiderit, ille id non proprio motu fecit, sed quia *sanctus Spiritus latenter id jusserat*, se ruina suppressit, ut puniret Dei contemptores. *Augustin de Civit. Dei I. c. 21.*

CCCXXVIII. Quoniam quæ usibus nostris adeoque animæ & corporis perfectioni inserviunt, *res* vocantur, sive *corporales* sint, quæ tangi
pos-



possunt, sive *incorporales*, quæ tangi non possunt; etiam obligatio nobis incumbit res comparandi externas sive *necessarias*, sive *utiles*, sive *voluptuarias*, quæ ad innoxiam jucunditatem pertinent. Ita tamen, ut bonum majus minori, adeoque & hic res *necessariæ* utilibus, utiles voluptuariis antecellant.

CCCXXIX. *Labor* est opera, quæ rebus corporalibus vel incorporalibus producendis impenditur. Quum igitur hasce acquirere obligemur, sequitur, ut etiam laborem amplecti teneamur, & pigritiam, ac otium fugere, quod est vacatio a labore. Nec tamen propterea semper laborandum est, siquidem nimius labor vires frangit, & operæ impediuntur futuræ; frui ergo licet honesta quiete atque jucunditate *Cicer. off. I. 29.*

CCCXXX. *Vitæ genus* est status, in quo certas operas ac labores obire obligamur. Quum nemini sit otium, nec quisquam aptus sit ad omnes labores, evidens est, certum vitæ genus ab omnibus eligi debere. Illud scilicet, in quo majores perfectiones efficere idonei sumus. Quemadmodum id ex animi & corporis viribus, impulsu genii, conditione natalium, auctoritate parentum, bonis fortunæ, aliisque opportunitatibus colligitur. *Pres. Sat. III. 71.*

CCCXXXI. *Fama* est judicium aliorum de nostra perfectione vel imperfectione. *Bona* igitur est vel *mala*. *Fama bona*, si verbis declaratur, *laus*, si factis, *honor*, consentiens ve-



ro laus bonorum & peritorum gloria nominantur.

CCCXXXII. Quum laus & honor non sit in potestate nostra, propter solum hunc finem agere non debemus. Quum tamen cuique incumbat sui ipsius perfectio, quisque etiam obligatur ita agere, ut laude atque honore dignus videatur, non modo ob *virtutes intellectuales*, sed etiam præcipue ob *virtutes morales*. Quæ vero bona a nostro non pendent arbitrio, neque nobis possunt imputari, ea veram laudem haud merentur.

CCCXXXIII. Concurfus causarum minime prævisus ad effectum nobis bonum, vel malum, dicitur *fortuna*. Est porro vel *secunda*, vel *adversa*, neutra tamen in nostra potestate. Quare nec prosperæ nimis fidere, nec in adversa animum adjicere debemus. Ne tamen fortuna adversa nos præter opinionem nimis conturbet, necessaria est *præparatio ad futuros casus*.

CCCXXXIV. Perfectio nostra consistit in perfectione animæ, corporis, & status externi; qui ergo officia illa sejungit, suam perfectionem nec producit, nec conservat, ergo non sunt separanda. Quare non ita studendum corpori, ut animus negligatur, aut status externus, vel vicissim.

CCCXXXV. Vulgo quidem dicitur: *necessitas non habet legem*. Ast id verum est, si necessitas sit *absoluta*, & non adsit libertas agendi,



di, adeoque impossibile sit contrarium. Ita lex sumendi cibum non obligat, si naufragium passus nihil, quo vescatur, reperire possit. Ubi vero necessitas est *hypothetica & cum ad-junctione*, ut etiam oppositum fieri possit, tunc adest collisio, & porro lex fortior vincet debiliorem.

CCCXXXVI. Quamobrem I. officia, quæ menti debentur, in collisione præferenda sunt officiis erga corpus. II. Officia erga corpus anteponenda iis, quæ ratione opum sunt observanda. Proin membrum potius erit amputandum, quam ut vitæ fiat jactura; denique mors incerta potius quam certa eligenda.

CCCXXXVII. Officia erga Deum affirmativa non obligant, nisi data occasione; ergo officia necessitatis, aut etiam magnæ utilitatis erga seipsum in collisione illis erunt præferenda. Siquidem & alio tempore & modo officia erga Deum affirmativa præstari possunt. Ita die festo hosti resistere, aut messem secus perituram colligere licet.

CCCXXXVIII. Quodsi officia erga Deum negativa sint, vita potius amittenda est, quam ut gloria Dei obscuretur, ne lex minus fundamentalis legi in omni serie fundamentali præferatur. Vitæ enim conservatio illa tantum ratione nos obligat, qua medium est, divinas perfectiones manifestandi; ubi igitur tale medium esse desineret, etiam obligatio cessat. Quare mori potius debuerunt Ecclesiæ mar-

ty-



tyres, quam vel minimum a recto Dei cultu
discedere. v. *Juven. Sat. VIII. v. 81.*

CAPUT X.

*De officiis erga alios humanitatis seu
imperfectis.*

CCCXXXIX. Officia erga alios diximus
alibi esse vel perfecta vel imperfecta; prout
aut tantum non detrahimus aliorum perfectio-
nibus, aut eas quoque pro virili augemus.
Utraque porro vel *universalia* sunt ac absoluta,
vel *particularia* & hypothetica, quæ ex aliquo
peculiari statu simul pendent.

CCCXL. Inde vero generatim cognoscen-
tur, quia non modo Dei voluntas ac finis est,
ut uni æque ac alteri bene sit consultum, cui
fini utique *Solipsismus*, seu Egoismus moralis
repugnat, sed etiam quia nostra perfectio
obteneri sine aliorum auxilio non potest.
Danda igitur opera, primo ut & aliis bona
impertiamur, sicque eos invitemus ad felici-
tatem nostram promovendam, dein ut a
malo illis inferendo abstinemus, ne conen-
tur efficere nostram infelicitatem.

CCCXLI. Unde consequitur, ut nobis præ-
cepta sit *Philanthropia universalis*, *humanitas*, *candor*,
comitas, *festivas*, *civilitas* & *miseriordia*,
prohibita vero sit *Misanthropia*, *inhumanitas*, *in-*
vidia, *inurbanitas* & vitia cetera contraria, ut
sic



fic aliorum amorem mereamur, & odium evitemus. *v. Matth. XXII. 37.*

CCCXLII. Qui nos amat, *amicus est*, qui nos odit, *inimicus*. Quum omnes amare obligemur, & odium fugere, videndum etiam est, ut omnes nobis sint amici, nemo inimicus; hinc si aliquis inimicus sit, ut illum emolliamus. Et quia transgressio Legis Nat. ab altero facta nobis non dat Jus, ut eandem legem violemus, etiam amare inimicos obligati sumus, non odisse.

CCCXLIII. Juvamus alios, si efficimus, ut alter usu virium nostrarum suum possit consequi propositum; tenemur aliorum felicitatem promovere, ergo & illos juvare, ut bona corporis, animi, & status externi, scilicet res & famam acquirere, augere, & tueri possint.

CCCXLIV. Quæ officia omnibus indistinctim profunt, quum scilicet quisque se ipsum excolit, ut evadat aptior aliis adjuvandis, suoque exemplo illos ad bene agendum permoveat, ea vocantur *indefinita*. His contraeunt, qui nulli vitæ generi se addicunt, & quibus anima tantum pro sale est, ne putrescant, qui que divitiis soli incubuere repertis, nec partem posuere suis. *Virgil. VI. Æn v 610.*

CCCXLV. Illa vero officia, quæ certis tantum personis data occasione præstantur, dicuntur *definita*; & sunt vel *innocentæ utilitatis*, quæ iis, qui accipiunt, sunt utilia, danti non



molesta, veluti viam erranti monstrare, consilium dare deliberanti, vel *beneficentia* & *gratitudinis*. *

CCCXLVI. Officia beneficentia aliis etiam cum aliqua molestia & diminutione ejus, quod nostrum est, praestamus, veluti quum indigentibus pecunias vel res elargimur. Est ergo beneficentia virtus, qua proclives reddimur ad aliquid alteri praestandum, ex τῷ nostro sine spe retributionis. Ast benefici non sunt, qui bona alteri conferunt, aut ignorantia, aut consilio nocendi, aut ex jactantia magis quam amore.

CCCXLVII. Servat beneficentia modum 1.) qui eam attemperat necessitati cujusvis, non si esurienti potum, aut aegroti epulum offert. 2.) qui dignos minus dignis, indigos opulentioribus, cognatos, ac necessarios extraneis anteponebat; quo majora enim adsunt motiva, eo major quoque obligatio efficitur.

CCCXLVIII. Ita porro 3.) conferenda sunt beneficia, ut quis ipse non egeat, secus in prodigalitate degenerat beneficentia; sed 4.) neque expectare oportet, donec nos rogent alii, quin etiam invitis succurrere debemus, si viribus nostris eorum resistantiam possimus superare. Cui rei si pares non simus, tunc primum illud obtinet: invito non dari beneficium. *Cicer. Off. I. 14. & 18.*

CCCXLIX. Gratitudo est amor benefactoris. Quoniam illum magis amare tenemur, pro quo.

* *Vid. Cicer. Off. I. 16.*



quo plura pugnant motiva, sequitur etiam nos magis adhuc obligari ad gratitudinem, quam ad beneficentiam. *Cicer. Off. I. 15.*

CCCL. Contra ingratitude est odium benefactoris. Alia *simplex*, si data occasione non rependitur gratia, alia *prægnans*, & cum læsione conjuncta, si beneficia malefactoris pensantur. *Seneca de Benef. IV. c. 1. § 27.*

CCCLI. Leges hucusque recensitæ sunt imperfectæ, quatenus 1.) actiones affirmativas præscribunt erga alios, ad quas salva naturali libertate nemo cogi potest; dein 2.) hæc officia fontem in amore habent, qui in actione animi interna consistit, atque adeo non possunt extorqueri.

C A P U T X I.

De officiis erga alios absolutis perfectis.

CCCLII. Pertinent officia absoluta erga alios perfecta, ut alibi diximus, ad justitiam stricte talem; eaque omnia in hac propositione fundamentali continentur, *neminem lædas, aut quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quæ quidem servari & fines Dei & propria nostra felicitas salusque exigunt.

CCCLIII. Exinde conclusio generalis promanat, ut homines reliquos, quibuscum idem ortus & interitus, communis Dominus & finis, eademque est natura, tamquam naturaliter æquales spectemus; adeoque a *superbia*



externa, seu vitio, quo quis temere sese super alios effert, abstineamus, nihil denique, quo naturalis aliorum libertas violetur, nobis arrogemus. *Plaut. Trin. XI. Sc. 4. v. 46.*

CCCLIV. Sed &, quoniam nemo lædendus est, cujusque vero sunt bona animæ corporis, & status externi, quilibet ad se, quentes speciales propositiones observandas perfecte constringitur. α) Caveas ab homicidio tam doloso, quam culposo. β) Alium non inducas in errorem præcipue in cognitione boni & mali. γ) Non corrumpas voluntatem alterius & mores, nec dictis, nec factis, quæ ei scandalo esse possint. δ) Alterius sanitatem ne perdas v. c. membra ejus mutilando, vulnerando.

CCCLV. Porro ε) alterius famæ & existimationi non detrahas; hinc evita ea omnia, quæ in alterius injuriam verbalem, aut realem, contemptum, contumeliam, vituperium tendere possent, & potissimum a *criminationibus vagis*, & indeterminatis, vel spargendis, vel credendis, maxime abhorreas. ζ) Res suas nemini auferas. η) Neque cetera alterius jura violes. *v. Cic. Off. III. 5.*

CCCLVI. Qui impedit alterius perfectionem, etiam lædit. Is enim alterius libertatem naturalem restringit, & facit, ne jus suum possit exercere, turbatque adeo in τω suo. Nemo ergo debet obesse, quo minus alter jure suo utatur, aut aliquam acquirat perfectionem,



nem, nec impedire tertium, quo minus in hoc eum juvet, aut mala animi, corporis aut fortunæ arceat.

CCCLVII. An officia innoxia utilitatis denegare, aliquando etiam sit lædere? id affirmat Grotius *, negat Pufendorfius **, nos gravissimam quæstionem distinctione optime solvi posse putamus. *** Sunt innoxia utilitatis officia alia *affirmativa*, seu *activa*, quæ consistunt in agendo v. c. consilium fidele deliberanti dare; alia *negativa*, seu *passiva*, quæ sola omissione seu patientia præstantur, v. c. non prohibere aqua profluente.

CCCLVIII. Positiva esse imperfecta supra probavimus, quia nemo sumere sibi debet iudicium in actiones alterius, imo fieri etiam posset, ut quis cogeretur ad aliquid impossibile, v. c. ad viam monstrandam, quam ipsemet ignorat. Contra officia innoxia utilitatis passiva perfecta esse, porro vi extorqueri posse facile ostenditur.

CCCLIX. Jure enim nostro ea omnia facimus, quæ nec Dei cultui, nec nobis ipsis, nec aliis adferunt detrimentum, igitur qui nos impedit, ne hoc jure nostro utamur, is nos lædit atque jus cogendi tribuit; quid porro vetat, quin officia innoxia utilitatis passiva denegantem compellamus, ut ab omni tur-

G 3

ba-

* De J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 11.

** De Off. H. & C. L. 1. c. 8. §. 5.

*** Cf. Davies. obs. J. N. LII.



batione absteineat. Quia tamen ex multis causis fieri potest, ut quod innocuum dicitur, noxium sit, ideo peti prius officium debet, & si nulla detur probabilis denegationis causa, id jure vindicatur. L. 2. §. 5. D. de aq. & aq. pl.

CCCLX. Lædenti incumbit reparatio læsionis, seu is tenetur facere, ut malum ex læsione ortum, hoc est, *damnum* cesset. Si enim læsio illata non tollitur, tunc eadem durat, atqui nemo est lædendus, itaque manifestum est, injuriam alteri illatam esse reparandam; quod contingit vel omnia reponendo in statum priorem, hoc est, *restitutione*, si fieri possit, & si non possit, veluti si animi, corporis, membrorumque integritas, honor, fama adimatur, dando quamcunque aliam possibilem *satisfactionem*. Ideo evellere errores, damna etiam in consequentiam venientia refundere, sinistra aliorum judicia diluere oportet.

CCCLXI. Si plures sint lædentes, distinguendum est: an singuli sint causæ certi determinati damni, & tunc quisque, quod dedit, *damnum* refarcit. Si vero *damnum* sit individuum, omnes simul sumti totum, quod intulerunt, *damnum* præstare debent; quare, si unus ex his non esset ad *satisfactionem* idoneus, reliqui in solidum obligabuntur.

CCCLXI. Si officia erga alios cum officiis erga se ipsum collidantur, putant communiter, *charitatem* a se ipso inchoare. Enimvero fallit hæc regula, quoties officia erga alios ad majorem



rem ducerent perfectionem, quam erga nosmetipsos; tunc enim bonum majus minori bono esset præferendum. Tenendæ igitur sunt sequentes propositiones.

CCCLXIII. I. Si collidantur *officia necessitatis* ex utraque parte, ut uni vel alteri sit per eundem, semper id, quod perfectius, eligatur: quamobrem non pauci propria morte vitam imperantis redemerunt. In dubio autem II. ubi par est causa, melior est conditio τὸ suum defendentis. Nulla sane tunc datur ratio sufficiens, cur qui medium habet evadendi, ab altero, qui id non tenet, possit spoliari; quum enim hocce suum medium quisque juste tueatur, injusta erit illius aggressio, qui id conatur eripere; ne secus legem naturalem, & sapientissimum ejus Auctorem jus dare ad contradictoria adferamus.

CCCLXIV. Inde vero fluunt hæ conclusiones: α) Ut fame periturus alterum non possit occidere, ut eo vescatur. β) Ut nec eidem panem unicum, quo se sustentat, adimere liceat. γ) Ut nemo jus habeat alterum ex scapha vel tabula, quam tenet, ejiciendi, ut ipse evadat. δ) Ut hominem mediæ viæ interpositum certa morte prosternere, & sic facilitate fugam, haud sit honesta ratio expediendæ salutis.*

CCCLXV. Ponas vero *officia commoditatis*, aut *jucunditatis* erga se pugnare cum officiis *necess-*

G 4

ces-

* V. Cic. Off. III. c. 6. 10. & 23. L. 128. de Reg. 7.



cessitatis erga alios, tum, quoniam denegato necessitatis officio violaretur jus connatum alterius, eique esset pereundum, officii vero præstatio concedenti non adferret interitum, evidens est, rem ad conservationem necessariam postulanti non posse recusari. Quare si id, quod nobis utile, commodum aut jucundum cum eo, quod aliis necessarium est, comparatur, jaceat utilitas aut commoditas nostra, valeat aliorum necessitas. *

CAPUT XII.

De officiis circa significationem mentis.

CCCLXVI. Is declarare mentem suam dicitur, qui actionem animæ internam, veluti cogitationem, volitionem, alteri notam facit. Quod, quum præstari nequeat sine aliqua actione externa, quæ internæ signum sit, consequens est, ut ad declarationem mentis; signa quædam adhibere oporteat exteriora, quæ actionibus internis, tam illius, qui easdem significat, quam ejus, cui hæc significatio fit, respondeant.

CCCLXVII. Est porro mentis declaratio; vel *Expressa*, si verbis, scriptura, aliisque determinatis cogitationum signis v. c. manuloquio, pediloquio utamur; vel *Tacita* quando

* Qui ergo potuit quærere Hecaton: *Si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis?* Cicero. *Off.* III. 23.



do ea facta ponuntur , ex quibus pro datis circumstantiis intentio agentis probabiliter colligitur , juxta id , quod plerumque accidit.

CCCLXVIII. Quoniam nihil ab homine temere , id est sine bono quodam sine fieri debet , officium genetale fermocinantis est , ut primum ab omni locutione abhorreat temeraria , quæ , cum nullo sine cohonestari possit , eo ipso Dei gloriæ , sui que & aliorum perfectioni repugnat , dein vero , ut sermone , sine quo isti fines nequeunt obtineri , semper & ubique utatur.

CCCLXIX. Occultatio actionis externæ , quæ proderet internam , quomocumque facta , *dissimulatio* dicitur ; est ergo omissio locutionis , sive silentium. Quia sæpe alios in proficua ignorantia relinquere , sæpe autem loqui obligamur , datur *dissimulatio* , quæ præcepta est , & alia , quæ prohibita. Prior vocatur *taciturnitas* , cui opponitur *loquacitas* ; posterior *reticentia*. cf. I. Reg. XV. 2. & *Augustin. libr. contr. mend. c. X.*

CCCLXX. Uti *veritas logica* est convenientia ideæ cum objecto , ita *veritas moralis* est convenientia oris cum mente , cujus contrarium porro *falsitas* est vel *logica* , vel *moralis*.

CCCLXXI. Inde patet I. dari posse sermones veros , *veriloquia* , & sermones falsos , *falsiloquia* , tam logica , quam moralia. II. aliquando tamen , quæ moraliter vera sunt , esse logice falsa , & vicissim. III. & quia actio exter-



na *sincera* est, quæ cum interna consentit, *simulata* quæ dissentit, veriloquia moralia esse actiones *sinceras*, falsiloquia moralia actiones *simulatas*.

CCCLXXII. Quicumque a recepta vocum significatione recedit, is ab altero non intelligitur, nec animi sui sensa eidem declarat, eum porro vel ludificat, vel inducit in errorem, & lædit, ergo aut silere debuisset, aut si erat obligatus mentem suam manifestare, tenebatur etiam apta ad id media adhibere, hinc verba accipere, *prout communis fert usus*.

CCCLXXIII. Quum *simulatio* sit dissensus actionis externæ ab interna, quæ si in verbis fiat, falsiloquium morale, si in factis, *simulatio in specie* dicitur, certum est, simulationem in specie vitio omni carere, quoties alter, cui simulamus, jus non habet sciendæ veritatis; sed vel eidem prodest ejus ignorantia, vel saltem sine cujusquam læsione talia facta simulata ad nostrum commodum impendimus. Quum enim declarationes tacitæ signis tantum fiant probabilibus, non quasi communi consensu introductis, possunt ista etiam contra consuetudinem pro singulorum arbitrio usurpari. *v. Grot. de J. B. & P. III. c. 1. §. 8. n. 5. I. Reg. XIX. 13.*

CCCLXXIV. *Allegoria* est sermo constans vocabulis, quæ a significatione propria ad aliud quid significandum transferuntur propter



ter rerum similitudinem. Quorsum *fabulæ*, *apologi*, aliique sermones figurati pertinent. Quum igitur tunc verba non disconvenient a mente, differt allegoria a falſiloquio morali; * nec ea quidquam vitii involvit, quia is, cum quo loquimur, ſi docilis ſit, mentem noſtram & veritatem cognoſcere ſatis poteſt. Aliud foret, ſi ſpecialis daretur obligatio clare & aperte cogitationes declarandi, adeoque etiam verba in ſenſu proprio adhibendi.

CCCLXXV. Verba *ambigua* ſunt, quæ ex communi loquendi uſu plures admittunt ſignificationes; poſita igitur obligatione animi noſtri ſenſa clare maniſeſtandi, ſermo ambiguus aut prætextus omitti debet. Contra ad eum recurrere licebit, ſi nullo jure a nobis exigatur veritas, ſermo autem apertus ei, cui honeſte non poſſumus non reſpondere, nihil commodi, nobis vero aliisve multum detrimenti eſſet adlaturus; nec enim tunc decipimus audientem, ſed permittimus, ut a ſemet ipſo fallatur. v. *Grot. L. c. Gen. XX. 2.*

CCCLXXVI. *Locutio contra mentem animo alterum fallendi eſt mendacium.*** Non ergo omne falſiloquium ea definitione comprehenditur. Sed ſi quis furioſis, mente captis, infantibus, vel iis, quibus prædixit ſe falſa narraturum, aut qui aliunde in id conſentiunt, verba enunciat a mente diſſona, mendax non eſt.

CCCLXXVII.

* *Joban. XI. 11.* ** *Auguſtin. Enchir. c. 22.*



CCCLXXVII. *Mendacium* distinguitur in *externum* vel *perniciosum*, quod in proximi no-
cumentum dirigitur, & *internum* tam *jocosum*,
quod recreationis & jucunditatis tantum cau-
sa confingitur, quam *officiosum*, quo quis com-
modum proprium vel alterius magis intendit,
quam ejus, cum quo loquitur, injuriam.

CCCLXXVIII. Quicumque mentitur, is
alterum fallaciis decipere propositum habet,
quum vel aliunde veritatem dicere teneretur,
vel saltem tacere posset, & hinc eo ipso, quod
os aperiat, præferat veritatem se dicturum

CCCLXXIX. Quum igitur 1.) nemo ver-
bis sit lædendus, 2.) nec verba tameraria ad-
hibenda, 3.) nec uni *res suam* auferendum, ut
alter adjuvetur, in aperto est, omne menda-
cium legi naturæ repugnare, nosque ad *vera-*
ritatem, quæ est proclivitas mentis ad ea lo-
quenda, quæ a cogitatis non sunt aliena, ob-
ligari. v. *Proverb. XIII. 5. Psalm. V. 7. Coloss.*
III. 9. Homer. Iliad. IX. 312. Cornel. Nep. in
Epam. c. III.

CCCLXXX. An autem locutio contra-
mentem & tunc sit mendacium, quando offi-
cia utilitatis erga alterum cum officiis summæ
necessitatis erga nos vel alios colliduntur?
quæstio est, ut D. Augustinus loquitur, *la-*
tebroso & inter doctos alternans. Alii affirmant,
quia 1.) veritas pulchrior sit quam vita, 2.)
via secus aperiatur mendaciis non sine pericu-
lo humanam fidem labefactandi. 3.) divinæ
ve-



veracitati talis sermo aduersetur, quod officium omnibus reliquis antiquius sit; hinc recte tunc doceant Hebræi, *si quis norit uti perplexiloquio, recte, sin minus, taceat.*

CCCLXXXI. Fuere vero olim inter SS. Patres, suntque hodie inter Catholicos Doctores, qui hujusmodi locutiones mendacii arguere non sunt ausi. Nam 1.) abesse tunc; ajunt, fallendi animum, 2.) alterum debere & præsumi consentire in id, quod sibi non nocet, & ad aliorum salutem requiritur; 3.) in collisione officia necessitatis semper reliquis officiis prævalere, ut sola officia negativa erga Deum excipantur, 4.) nihil vero hic agi, quod in Deo perfectionem aut summam veracitatem neget, 5.) etiam homicidium illicitum esse desinere, si extrema necessitas obveniat, & porro obstetrices ægyptiacas, atque Raabam ab omni culpa excusant. *

CCCLXXXII. Si vox prolata tunc solummodo verum sensum habet, quum ei vox in mente retenta additur, fit *restrictio mentalis*, v. c. si interrogatus, an rem invenerit alienam, dicat, non inveni, subaudiendo *in via publica*, quum invenerit in templo. Quoniam hæc verbis constat a mente diversis, nulum dubium est, quin, quia concurrat animus fallendi, mendacio æquipolleat, & ejusdem

* *Rarissimi profecto erunt hujusmodi casus, & forte Satius erit a paucis etiam justam aliquam exemptionem non accipi, quam aliquam ab omnibus tentari. Seneca. Ben. VII. 16.*



dem regulis nitatur. *v. Proposit. damnat. ab Innocentio XI. prop. 27.*

CCCLXXXIII. Si is, ad quem dirigitur sermo, verba, quæ mente retinentur, facile ex apertis verbis, aliis signis, vel substrata materia colligere possit, adest *restrictio non pure mentalis*. Hæc æquivalet sermoni ambiguo; itaque, quando nulla est obligatio clarius loquendi, ea non erit illicita. Ita si interrogatus, *an viderit Cajum*, respondeat *se non vidisse*, non mentitur, licet eum heri viderit, quum substrata materia doceat, interrogationem de eo esse conceptam, *an hodie viderit*.

CAPUT XIII.

De dominio, ejusque acquirendi modo simpliciter originario, sive occupatione.

CCCLXXXIV. Egimus hætenus de officiis erga alios absolutis, nunc sequuntur hypothetica, quæ cum a natura, tum simul ab aliquo hominum instituto atque eorum factis derivantur. Ac primo quidem se se offerunt specialia rerum jura; quod enim supra cuique adseruimus jus ad res necessarias indeterminatum, nec ulli certæ rei adhærens, illud, quoniam ex sola fuit hominis natura, & in omnibus æqualiter reperitur, ad Jura connata & universalia spectat.

CCCLXXXV.



CCCLXXXV. Quoniam naturaliter omnes homines habent æquale jus, nemo eatenus gaudet jure rerum proprio, ergo non dantur natura res *singulorum*; sed omnes sunt vacuæ & nullius, sive quod idem est, in communione negativa, a qua nemo poterat excludi; & quæ ideo *primæva* nuncupatur. *v. Virgil. I. Georg. v. 126.*

CCCLXXXVI. Inde fluit 1.) ut in eo statu omnes quidem haberent jus in omnia, sed sine cujusquam exclusione, 2.) ut tam res, quæ sponte nascebantur, quam quæ industria & labore, ab omnibus vi legis naturalis ad mutuam felicitatem adhibendo, producerentur, essent quasi in medio positæ & nullius propriæ; 3.) ut cuique daretur jus ad actus necessarios pro jure illo ad res exercendo, v. g. capienda fera, pomo decerpendo, ponenda habitatione, transeundo per quævis loca, modo nemo læderetur. Quo sensu *unum cunctis fuisse patrimonium*, dixit JUSTINUS XLI I. I.

CCCLXXXVII. Rem apprehendere est illam ita suæ potentiæ subicere, *redigere in suas vires physicas*, ut usui possit servire cum aliorum exclusione. Quia usus rei, quæ consumitur, uni tantum prodesse potest, nec ab usu apprehenso quempiam licet excludere sine læsione, is, qui semel rem tenebat, non potuit illa privari, sed in pari causa melior fuit ejus conditio. Hinc & hoc jus rerum ad jura perfecta pertinuit. *v. Cic. Fin. III 20.*

CCCLXXXVIII.



CCCLXXXVIII. Aucto humano genere, sponte nata non suffecissent omnibus; major erat necessaria cultura, nec non assiduus labor ad res industriales & artificiales producendas. Sed frigescente amore mutuo & legum naturalium custodia, quum multi otio torpescerent, & tamen vivere vellent, alii diligentiores operam & laborem suum frastrabant; hinc oportebat res omnis generis in futuros usus apprehendere, asservare, & animo sibi tamquam *proprias* habendi detinere, hoc est, *possidere*. *

CCCLXXXIX. Apprehensio rei nullius animo sibi habendi ut propriam, dicitur *occupatio*. Sunt ergo requisita occupationis I. ut sit res nullius, II. ut factum accedat, natura enim nulla res externa alicujus propria est; III. ut illud factum sit sufficiens ad rem in nostram potestatem physicam redigendam, si-ve ut adsit apprehensio, rei detentio, *possessio corporalis*; IV. ut hæc detentio sit cum animo rem sibi propriam habendi, *possessio juridica*.

CCCXC. Frustranea fuisset rei apprehensio & ejus possessio, si cuique licuisset possessorem turbare, aut re dejicere. Ex facto occupationis igitur orta est tam obligatio negativa aliorum se a re tali abstinendi, quam facultas moralis, seu *jus possessoris de ipsius rei substantia & consecrariis pro arbitrio disponendi*, si-ve decla-
ran-

* Hæc origo philosophica juris rerum proprii; historiam docet *Genesis* I. 29. IX. 2.



randi, quid fieri, vel non fieri velit, dummodo neminem læderet, quod jus *dominium* vocatur. Est itaque *dominium Jus in re, Jus reale*, quod *personæ competit in re sine respectu ad aliquam personam. v. L. 1. D. de adq. vel am. possess.*

CCCXCI. Si plures eandem rem occupant simul, omnibus competit æquale jus & reliquos possunt excludere; itaque habent *condominium*, quod alias dicitur *communio positiva*. Ast si ex illis pluribus nemo habeat partem juris proprii, sed res sit universitatis, ut in monasteriis, adest *communio mixta*.

CCCXCII. Id, quod est medium sufficiens acquisitionis, *modus* dicitur, estque alius *originarius*, si res nullius est; alius *derivativus*, si res jam sit alicujus propria. Ratio autem, ex qua intelligitur *justitia* acquirendi, est *titulus*. Igitur ab initio *titulus* seu *causa* remota *dominii* fuit *jus conatum occupandi*, *modus* autem seu *causa proxima* fuit ipse *actus occupationis*, quæ porro sola est *modus acquirendi dominium originarius simpliciter talis*.

CCCXCIII. Ex dictis sequentes deducuntur conclusiones: I. ut qui *potest* tam *physice*, quam *moraliter*, & *vult*, is rem *adquirat*, II. ut tamen *prior tempore* sit *potior jure*, III. ut res a nobis *occupata*, & *dominium* sint in *τῷ nostro*; quæ vero *occupantur* ab aliis, sint in *τῷ alterius*, & *sine læsione* auferri nequeant, IV. ut *dominium* non sit *jus connatum*, sed



adquisitum. V. ut introducto dominio cessaverit pars status originarii, diversa accesserint jura, & aliqua invaluerit inæqualitas.

CCCXCIV. Sunt, qui hancce domini originem redarguunt. Primo enim ajunt, res, ad quas omnes homines jus connatum habent, unanimi tantum eorum voluntate occupari potuisse. Tum putant multis hoc modo nimiam rerum copiam obtigisse, quibus porro alii cogantur non sine injuria carere. Respondent Grotius *, ac Pufendorfius **, res communi olim voluntate fuisse divisas, datamque simul cuique facultatem, quod reliquum erat, exinde occupandi, adeoque modum adquirendi antiquissimum & originarium etiam *divisionem* faciunt.

CCCXCV. Enimvero haud opus est hisce ambagibus. Communio enim rerum primæva positiva non fuit, sed negativa, in qua omnia erant nullius, & quasi in medio posita; itaque jus rerum connatum jus tantum erat apprehendi res vacuas, non vero jus impediendi, ne eas alii, si vellent, & possent, occuparent. Quare quum nemini fieret injuria per hujusmodi occupationem, necesse etiam non erat aliorum declarationem expectare. Ceterum, quanta cuique esset indigentia, id ejus arbitrio erat relinquendum, si modo res necessariæ singulis superessent. *v. Gen. I. 29.*

CCCXCVI.

* L. II. C. II. S. I. n. 5.

** J. N. & G. L. IV. C. IV. S. 4.



CCCXCVI. Res eæ possunt occupari, quæ
1.) sunt nullius, vel a domino derelictæ, quas
scilicet non vult amplius in τω suo habere,
2.) quæ usibus nostris inservire possunt, 3.)
quæ sunt exhausti usus & apprehensionis at-
que custodiæ capaces, sive sint *inanimatæ*, tam
mobiles, quam *immobiles*, sive *animatæ*, v. c.
piscēs, volucres. Quum enim nulla nobis sit
cum brutis juris communio, dubium non est,
quin ea & occidi, & in cibum converti tuto
possint.

CCCXCVII. Hoc modo occupantur 1. *res
animatæ venatione, piscatione, aucupio*, si modo
retibus, vel aliis instrumentis, aut etiam loco
circumsepto ita detinentur, ut aufugere ne-
queant. 2. *res inanimatæ* α) *mobiles inventione*,
v. c. gemmæ, lapilli in litore maris, thesau-
rus in loco nullius detectus. β) *immobiles*,
quum quis fundum ingreditur, terminos po-
nit, aut sepem, vel parat ad meliorem usum
industria & labore, etiamsi singulas glebas
non circumambulet. v. L. 3. §. 1. *de adq. vel
om. pos.*

CCCXCVIII. Contra materiam occupationis
haud constituunt res, quæ non sunt nullius,
v. c. homines, & quæ in eo sunt statu, ut
quis occuparit jus eas occupandi; quales sunt
piscēs in parte fluvii occupata, thesaurus in
alieno fundo: quæ res *jacentes* vocantur, ne-
que sunt simpliciter nullius.



CCCXCIX. Nec occupantur res nunquam derelictæ: uti bona naufragorum; res amissæ veluti e rheda cadentes, vel fugitivæ, si cognosci possint; nec res inexhausti usus, & quæ non possunt custodiri vel apprehendi, ut sol, mare, aer; cessant enim hisce in rebus tam possessio, quam reliquæ dominii causæ, & hinc in communione primæva permanserunt. *Virgil. Æn. VII. v. 229.*

CAPUT XIV.

De effectibus dominii, seu de juribus & obligationibus, quæ ex dominio nascuntur, & accessione.

CCCC. Habet dominus jus disponendi de ipsius rei substantia & consecrariis. Igitur generalis dominii effectus est, ut eidem vi libertatis naturalis etiam jus competat ad omnes actus in re sua possibiles; & ut quilibet homo obligetur, ne dominum in horum jurium exercitio turbet, ac læsionem factam refarciat.

CCCCI. Hinc vero specialia domini jura derivantur, I. ut rem suam possit possidere, II. omne ex illa percipere emolumentum, vel etiam III. sese possessione aut dominio, sive toto, sive pro parte abdicare; quare quisque dicitur rei suæ moderator & arbiter.

CCCCII.



CCCCII. Ex facultate possessionis jus consequitur quoscumque alios a re sua excludendi, & cunctis omni actu circa eandem interdicendi; potest porro dominus illam tueri, amissamque ab omni detentore repetere, & probato dominio *vindicare*.

CCCCIII. Vi juris, quod habet ad omne emolumentum, licet domino re sua non modo *uti*, hoc est, id, quod poscit necessitas, percipere, sed & *frui*, nimirum quidquid ex illa provenit, ad utilitatem & jucunditatem suam convertere, tum *meliorare*, immo in aliam plane formam transferre, *specificare*.

CCCCIV. Ex eo denique, quod domino sit jus disponendi pro arbitrio, sequitur, ut is possit rei dominium in alios transferre, *dare*, vel totum vel partem tantum; sive ea pars fuerit jus in solam substantiam, *proprietas*, *dominium directum*, sive jus in omnia consecratoria, *dominium utile*; sive jus, vi cujus dominus aliquid in re sua pati vel non facere teneatur, *servitus*, veluti *usus*, aut *usufructus*; quarum altera jus est *re aliena utendi*, altera *jus etiam fruendi salva substantia*.

CCCCV. Quid! quod vi justitiæ strictæ talis in foro externo etiam rem suam destrueret, corrumpere, perdere & ea abuti cuique licet, modo id nemini noceat, quamquam res dilapidare & jactare officiis tam erga alios imperfectis, quam erga se ipsum repugnet. *v. L. 2. D. si a par. quis manum.*



CCCCVI. Quum nemo in jure suo tam connato, quam hypothetico sit lædendus, & læsio facta resarcienda, patet, *Furtum*, quod est fraudulenta rei alienæ ablatio invito domino animo sibi habendi, & *Rapinam*, quæ est furtum violentum, *Invasionem*, quæ est factum, quo quis possessione rei suæ immobilis dejicitur, omnem denique *defraudationem* & damnum dolo vel culpa illatum lege naturali prohiberi; atque auctorem mali ex hujusmodi factis orti ad restitutionem vel satisfactionem obligari.

CCCCVII. Rem autem alienam casu ad nos pervenientem esse restituendam, aut a tertio occultatam domino manifestandam, inde colligitur, quod, qui secus ageret, is causa esset, ut dominus rei suæ jacturam patiatur; quod quum sit lædere, in aperto est, quemlibet ad rei alienæ restitutionem *aciendam*, vel *scientio non impediendam* obligari, quia reticentia hujusmodi involveret lædendi animum.

CCCCVIII. Si damnum *casu* infertur, nemini illud potest imputari; igitur hic casus domino tantum nocebit. Hinc autem, si *animal absque domini culpa* rem alterius destruit, quoniam hoc damnum casuale est, efficitur, ut etiam id rei domino noceat; nec dominus animalis aut damnum resarcire, aut animal, quod nocuit, extradere teneatur, sed in pari causa melior sit possessoris conditio.

CCCCIX.



CCCCIX. Quoniam in collisione officia erga se ipsum necessitatis officii erga alios commoditatis præferenda sunt, nec jus conatum ad res necessarias introductione dominorum cuiquam adimi potuit, quippe quod ex obligatione immutabili se conservandi ortum est, sequitur, ut, si quis cum extrema necessitate luctetur, nec ulla alia pateat evadendi via, domino etiam invito eadem necessitate non laboranti res auferre, deteriorare, perdere jure possit.

CCCCX. Inde patet licere res alienas in mare projicere ad levandam navim, orto incendio ædificium vicini dissipare, arma ad defensionem alteri eripere, & quæ ejus sunt generis.

CCCCXI. Quamprimum tamen rei ablatæ restitutio fieri poterit, ea facienda est. Jus enim ad illam solum ex necessitate ortum est; ergo non nisi ex necessitate accipit mensuram. Quare si sufficiat *usus*, non datur jus in substantiam, & si substantia pro tempore opus sit, ea vel ejus æquivalens non poterit perpetuo, & necessitate cessante retineri, alias hæc ipsa ulterior retentio dominum læsione adficeret.

CCCCXII. Incrementum, quod acquirit res in dominio alicujus existens, vocatur *Accessio*, & si fiat naturæ beneficio, *naturalis*, si factò hominis, *industrialis*, si utroque modo simul, *mixta*. Sunt vero accessionis naturalis



hæ species, 1.) *fatūra*, hoc est fructus animalium, ut agni ovium, 2.) *alluvio*, quum agro particulæ terræ sensim & pedetentim adjiciuntur, 3.) *vis fluminis* seu incrementum simul & semel adjectum, 4.) *insula* in fluvio nata, 5.) *alvei mutatio*.

CCCCXIII. Duæ autem sunt accessionis naturalis regulæ: una, ut incrementum rei nostræ, quod ex eadem provenit, nostrum sit; quare insula, & alveus derelictus ejus est, cujus fluvius, & quod nascitur ex animalibus, ad dominum ventris statim pertinet. Altera, ut si incrementum veniat aliunde, & *certæ sit originis*, priori domino restituatur, veluti in vi fluminis; si vero id sit *incertæ originis*, sicut in alluvione, dominus rei principalis præcipuum jus habeat accessionem occupandi.

CCCCXIV. Accessionis industrialis species sunt I.) *adjunctio*, quæ fit α) *inclusionem gemmæ*, β) *intextura purpuræ*, γ) *ædificio*, δ) *adferruminatione*, ϵ) *adplumbatura*, ζ) *pictura*, η) *scriptura*, tum II.) *confusio rerum liquidarum*, & *commixtio rerum aridarum*, & III.) *specificatio*, si v. c. ex argento quis faciat vasa, vel vinum exprimat ex uvis.

CCCCXV. Doctrina accessionis industrialis duplici quoque regula continetur; prima est, si rei meæ novum aliquid accedat, quod alienum non est, erit meum, v. c. si pingam in mea tabula. Secunda, si accessorium fuerit alienum, vel potest separari, & restitui debet



bet priori domino, vel separari nequit, & res erit *pro rata communis*. Ita tamen, ut qui communionis auctor est, is alteri omne damnum debeat refarcire; si autem nemini communio imputari possit, tunc vel voluntate utriusque, vel forte sit decidendum, quinam retineat rem, & alteri per æquipollens satisfaciat.

CCCCXVI. Species demum accessionis mixtæ sunt *fatio*, atque *in plantatio*, in quibus eadem sunt tenendæ regulæ, quæ in industriali accessione. Igitur illud axioma: *accessorium sequitur principale*, omni in sensu verum non est; sed solum ea in specie, quando *rei meæ aliquid sit accessorium, quod aquirere volo, & possum physice atque moraliter*. Tunc enim accessio modus est dominium adquirendi, & quidem *secundum quid originarius*.

CAPUT XV.

De Pactis.

CCCCXVII. Qui alteri declarat suam voluntatem rei alicujus præstandæ, hoc est, aliquid dandi, faciendi, vel non faciendi, *promittit*, qui vero declarat voluntatem rem sibi promissam in *τὸ suum* recipiendi, ille *acceptat* seu *stipulatur*. Promissio acceptata *pactum* dicitur; ergo in pacto adest *consensus* seu identitas duarum voluntatum in idem.



CCCCXVIII. Inde fluit ad pactum requiri, 1.) ut duo vel plures idem se velle declarent, hoc est, *consentiant*. 2.) ut præstatio sit possibilis. Quæ si fuerint observata, tunc *τὸ suum* promittentis fit *τὸ suum* acceptantis; adeoque ille paciscendo vel rem, vel operam, vel particulam libertatis naturalis in agendo alienat, hic vero unum ex his adquiret *modo derivativo*.

CCCCXIX. Quoniam voluntas alterius sciri nequit, nisi ex signis externis, *uti se alter sufficienter declarat, ita eum judicandi jus habemus*. Et quia sufficiens declaratio ipsi voluntati æquipollet, ideo licet paciscentes aliud mente voverent, aliud ore proferrent, pactum tamen existeret. Non vero paciscuntur, qui se *jocari* manifestant, aut solum *tractatus* faciunt, & negotiationes pactitias, in quibus adhuc deliberatur, utrum consentiendum sit, nec ne. *v. L. 7. §. 2. de supell. leg.*

CCCCXX. Pactum ratione declarationis est *expressum*, si verbis, literis, nuntio, aliisve similibus signis fiat; & *tacitum*, si vel ex factis desumatur, vel per necessariam consequentiam ex iis, quæ expressa sunt, fluat; ita qui in caupona mensæ communi adsidet, tacite promittit se partem suam soluturum.

CCCCXXI. In pacto vel unus tantum promittit, & unus pariter tantum acceptat, vel ambo quid promittunt, atque invicem accep-



ceptant; prius vocatur pactum *unilaterale*,
posterius *bilaterale*.

CCCCXXII. Sola promissio sine acceptatione vel antecedente, vel consequente non facit, ut res promissoris alteri non stipulanti acquiratur. Si quis porro non impleat hujusmodi promissum, quia nihil de τῷ alterius aufert; obligationem violat tantum imperfectam. Inde patet pollicitationis vis, quæ definitur: promissio sine jure acceptandi facta.

CCCCXXIII. Quare si quis per literas vel tabellarium alteri absenti quid spondeat, antequam literæ sint redditæ, aut tabellarius mentem nostram declaraverit, & voluntas alterius accesserit, promissio sine injustitia revocatur. Et licet postea sequatur acceptatio, ea tamen nullum habet effectum deficiente jam *consensu mutuo*. Seneca *de Benef. V. 21.*

CCCCXXIV. Promittens, qui pactum non servat, denegat stipulatori id præstare, quod in τὸ illius est jam translatum, & eum lædit: contra lædentem datur jus cogendi, quod perfectum dicitur, ergo etiam promittens perfecte obligatur, seu *debet* pactum servare, fidem creditori datam liberare, & porro a *perfidia*, quæ dolosa est fidei datæ violatio, abstinere. Summa igitur est pactorum necessitas, ut obligatio alias imperfecta & minus secuta firma fiat atque perfecta.

CCCCXXV. Ii omnes, qui possunt consentire physice & moraliter, pacisci possunt.

Pro-



Proinde furiosi, mente capti, dementes, infantes, seu pupilli naturaliter, plene ebrii & in somnio annuentes, inire pacta nequeunt; quippe qui usu intellectus & rationis, atque ipsa voluntatis declarandæ facultate carent.

CCCCXXVI. *Error in pacto* venit vel a *promittente*, vel a *stipulante*, vel a *tertio*, semper vero ei imputari & nocere debet, qui est erroris causa; quare si promittentem suus tantum fefellerit animus, quum, quod verbis declaratur, pro vera sit voluntate, error ipsi soli nocebit.

CCCCXXVII. Quod si error veniat ab *acceptante*, qui vel ipsemet errat, vel sciens dolo vult alterum fallere, eidem error & dolus imputatur; & quidem si error aut dolus causa unica & finalis fuit paciscendi, pactum non modo non valebit, omni deficiente promissoris consensu, sed etiam tenebitur dolosus stipulator damnum datum reparare.

CCCCXXVIII. Si autem error fuit *causa solum impulsiva* paciscendi, & ita incidit in pactum, ut tamen alter fuisset illud initurus, licet non eodem modo, tunc quidem valebit pactum, sed læsio erranti illata erit facienda. Demum si error veniat a *tertio*, huic tantum est imputandus, nisi erroris exceptionem, etiam stipulator intelligat, tacite inesse.

CCCCXXIX. Si pactum metu injusto extortum sit, Grotius * putat illud valere, quod

ta-

* L. II. c. XI. s. 7.



tamen absolutus adsit consensus; Pufendor-
fius * negat, quod nemo jus habeat naturali-
ter metum alteri ad extorquendum pactum
incutiendi, ergo qui metum injustum infert,
promissionem sibi factam nequeat acceptare,
sine acceptatione autem pactum non subsistat,
licet promittens consenserit. Nos quidem ea-
tenus Grotio adstipulamur, ut si metus in se
injustus, pro justo externe habeatur, pactum
in foro externo sit servandum; inde tamen
nullum unquam jus nasci potest acceptanti
ratione fori interni & conscientiae.

CCCCXXX. Pacti materia est, quidquid
dare, facere, vel non facere possumus tam
physice, quam moraliter, nulla ergo datur
obligatio ad aliquid impossibile, v. c. ad dan-
dum hippocentaurum. Qui tamen hoc polli-
cetur, possit ex alio capite ad satisfactionem
obligari, nimirum si rem possibilem esse simu-
lans alterum decipit, veluti Alchymista.
Quod si promissum ab initio praestari quidem
poterat, sed postea culpa promittentis ei de-
sint praestandi vires, tenebitur & is omni alio
possibili modo satisfacere. Exemplum est in
gulofo decoctore.

CCCCXXXI. Irrita est promissio rei illi-
cita ac turpis, siquidem actionem a lege na-
turali prohiberi, & tamen nos ad illius pra-
stationem adstringi repugnaret. Quemad-
modum porro deficiente jure acceptandi pa-
ctum

* De Off. H. & C. c. IX. s. 15.



Etum nullius est momenti, ita illud stare nequit, si jus promittendi deficiat, velut si res aliena promittatur.

CCCCXXXII. Quoniam per pactum aliquid in *to suum* acceptantis transfertur, iste generatim jus habet non patiendi, ut ab aliis in jure acceptatione quæsito turbetur; speciatim vero cogendi promissorem, ut id, quod pacto conventum, impleat, atque posterius hoc Jus *personale* appellatur, quia *personæ competit tantum in personam*, non in omnes, ut *hæc dare vel facere teneatur*.

CCCCXXXIII. Promittuntur vel facta tam commissiva, quam omissiva, vel res corporales, vel alia rerum jura. Igitur impletur promissum, si promittens, quantum in se est, faciat vel omittat, aut si rem *tradat*, hoc est, possessionem ejus physicam transferat, aut si stipulatorem juris vel rei usum habere patiatur.

CCCCXXXIV. Si promittatur res individua, & *immediate singularis*, jus, quod in illam promittens habet, transit in stipulantem per acceptationem; igitur, si is, qui promittit, sit dominus, dominium quoque, utpote res incorporalis, statim in acceptantem derivatur, & solum ad consequendam possessionem traditione opus est. Competit enim ante illam stipulatori *jus rei certæ promissæ inhærens*, sive *jus reale*, ex quo illam quocumque juste vindicaret.

CCCCXXXV.



CCCCXXXV. Ubi vero res *mediate tantum singularis* aut quantitas v. g. equus, centum aurei, pacto transferuntur, pendet adhuc a promittentis arbitrio determinare, quam rem in individuo dare velit. Igitur stipulator dominium & jus reale non acquirit ante traditionem saltem *brevi manu* vel *longa manu*, vel *symbolice factam*, aut aliam sufficientem rei determinationem; sed habet solum jus personale, seu *jus ad rem*, ut promittens rem promissam certam faciat. Fac vero aliquod ens universale promitti v. c. *protectionem*, *assistentiam*, inutilis erit promissio, quæ etiam re minima adimpleri posset.

CCCCXXXVI. Circumstantia, quæ actum suspendit in futurum incertum rei eventum, *conditio* dicitur. Alia est *naturalis*, quæ ex rei natura inest, & subauditur; alia est *arbitraria*, quæ conventionem adjungitur. Arbitraria vocatur conditio stricte talis; estque vel *possibilis*. vel *impossibilis*.

CCCCXXXVII. Possibilis *potestativa* dicitur, si pendet ab arbitrio ejus, in quem jus transfertur; *casualis*, si a fortuna, *mixta*, si est partim potestativa, partim casualis. Porro *suspensiva* est, si jus & obligatio differtur, donec existat conditio, *resolutiva*, si jus & obligatio statim adfit, sed cesset conditione veniente. Quum nemo obligetur magis, quam quatenus se velle declaravit, si conditio deficiat, etiam pactum corruet. Est ergo con-
di-



ditio species pacti, quod servare oportet, nisi vel naturæ vel legi repugnet.

CCCCXXXVIII. Quamquam, qui sub turpi conditione aliquid promisit, ex pacto, quod nullum est, non obligatur, tamen si rem promissam præstitit, repetere eam nequit. Qui enim scienter dat, quod non debet, gratis id se dare tacite declarat & donat; quod vero semel donatum est, ejus non conceditur repetitio. *v. L. 82. D. de Reg. Jur.*

CCCCXXXIX. Quemadmodum, conditione pacto adjecta, non magis obligatur promittens, quam se obligari velle declaravit, ex eadem ratione, si addatur dies, ex quo præstanda sit res promissa, eam nequit exigere acceptans, antequam dies apposita venerit. Ubi vero pura, id est, sine die & conditione facta est promissio, tenetur illam implere promittens, quam primum id facere potest, & stipulator præstationem postulat, nec tamen hic statim *cum sacco adire debet. v. L. 105. D. de Solut.*

CAPUT XVI.

De possessionis jure & dominio putativo, seu interimistico.

CCCCXL. Finita est, teste experientia, humani ingenii vis, nec tanta cuiquam obtigit rerum cognitio, ut non maximum earum numerum ignoret, quas omni licet adhibita di-
li-



lignitia scire tamen nequit. Quidquid per vires nostras phycas noscere impossibile est, uti & id, ad quod cognoscendum non sumus obligati, illud invincibiliter ignoramus, lege haud repugnante; planum igitur est, dari justam plurimarum rerum ignorantiam. *v. L. 42. Dig. de Reg. Jur.*

CCCCXLI. Quod ex ignorantia invincibili patrat, nemini imputari potest, quare *factum*, vel *non factum circa rem alienam* susceptum, quamdiu hujusmodi ignorantia durat, læsio moralis non est, sed actio lege permessa. Jus proin competit cuique ea agendi tanquam justa, quæ talia non essent, si suam ignorantiam posset superare. *v. L. 99. D. de Reg. Jur.*

CCCCXLII. Qui justa laborat rei alienæ ignorantia, is est in *bona fide*, qui vero suum esse simulat, quod alienum esse scit, vel culpose ignorat, is est in *mala fide*; ex quo quinam bonæ & quinam malæ fidei possessor sit, intelligitur.

CCCCXLIII. Itaque patet, bonæ fidei possessorem rem alienam esse ignorare, verum se dominum opinari, & hinc possessionem interim retinere, aut amissam recuperare, atque actiones cum opinione veri domini connexas suscipere jure posse: neque ei læsionem vero domino illatam esse imputandam. Contra malæ fidei possessori, & illi, in quo mala fides supervenit, omnem postea actum imputari, qui



ad exercitium domini pertinet. v. L. 136. D. de Reg. Jur.

CCCCXLIV. Atque ex his ulterius colligitur, dari occupationem accessionem, & translationem domini, aut alterius juris *putativam*, si quis rem alienam apprehendit, quam credit esse nullius, vel rem suæ rei accedentem suam esse judicat, aut a vero domino sibi traditam opinatur; atque hujusmodi error omni culpa vacuus est.

CCCCXLV. Hinc quanquam vera non adfit occupatio, nec vera accessio, nec vera domini, aut juris adquisitio derivativa; tamen bonæ fidei possessor pro vero domino habetur, donec contrarium appareat, & dominus verus cognoscatur. Aliud dicendum foret, si culpa subesset adquirere volentis, veluti quum vel ex *loco*, vel ex *natura* rei inventæ satis desumi posset, rem esse alicujus propriam.

CCCCXLVI. Quia tamen inter cetera domini jura & illud reperitur, ut quis possit rem suam vindicare, hinc medium ad hoc necessarium adhibere, poterit in hac specie verus dominus suum probare dominium, hoc est, possessori fidem facere rem ab eo detentam sibi esse propriam; quo præstito præsumtio cedere veritati debet.

CCCCXLVII. Ast gravis difficultas est, an hocce dominium putativum diuturnitate temporis in verum dominium convertatur; sive an sola lege naturali nitatur *Usucapio*, quæ di-



citur modus acquirendi derivativus, quo quis rem alienam, ope I. justî tituli, II. bonæ fidei, III. possessionis non interruptæ, & IV. longævi temporis ita suam facit, ut priori domino supervenienti amplius restitui ea non debeat.

CCCCXLVIII Adfirmant Grotius, Pufendorfius, Wolfius, alique non pauci, quamquam non ex eodem fundamento. Quidam enim provocant α) ad præsumtam derelictionem rei tanto tempore non possessæ, aut non repetitæ data occasione: β) quidam tacitam volunt intervenisse conventionem, quæ possessori diuturno verum dominium tribuat: γ) quidam rationem repetunt ex fine proprietatis, quæ non possit semper in incerto fluctuare, & hinc dominium putativum cum vero confundi debeat: δ) quidam denique felicitatem urgent humani generis, quæ stare nequeat, si perpetua admittantur de proprietate diffidia.

CCCCXLIX. Enimvero si vera adest rei derelictio, dominium occupatione acquiritur; si autem derelictio tantum præsumta est ac ficta, cedere debet veritati, quam primum verus dominus declarat se nunquam habuisse derelinquendi animum; quid, quod hujusmodi præsumptio contraria est legi naturali, quæ prohibet hominem res suas jactare?

CCCCCL. Porro domini silentium derelictionem satis non evincit, oritur enim sæpe



ex ignorantia, vel ex metu possessoris; & si quis non contradicit, ut alter rem possideat, non sequitur, neque contradicere, ut perpetuum ejus habeat dominium. Sed etiam tacita quædam conventio rem permittendi possessori ultro fingitur; quin potius id voluisse omnes censentur, ut res amissa suo domino restituatur.

CCCCLI. Nec melior ratio est in confusione. Si enim confusio dominii putativi cum dominio vero causa esset usucapionis, hæc etiam cessare deberet cognito vero rei domino, siquidem tunc confusio quoque desinit.

CCCCLII. Denique communis felicitas non probat usucapionem jure perfecto obtinere; siquidem officia beneficentiæ ac gratitudinis exhiberi etiam interest humani generis, inde tamen non concluditur, adesse obligationem perfectam, ut præstentur. Immo vero paci & tranquillitati satis consultum est *Jure possessionis*, quam quis licite tuetur, donec alter perspicue demonstrat, se rei dominum mansisse; quod si fuerit factum, rei restitutio communi bono nullatenus repugnat.

CCCCLIII. Nulla igitur adduci ratio sufficiens potest, ob quam a domino, qui neminem læsit, atque invito, * rei dominium in possessorem naturaliter derivetur. Præsertim si perpendamus tempus, ex quo vel derelictio, vel conventio, vel confusio colligi deberet,

* V. L. II. D. de Reg. Jur.



ret, nullo modo sola lege naturali determinari posse, an nimirum decem, viginti, centum, aut quot demum annis impleatur. Adeoque tota usucapionis doctrina ad jura positiva pertinet.

CCCCLIV. Sane si fingamus quietam rei possessionem durasse immemoriali tempore, ut nulla in contrarium esset memoria, utique idonea dominii probatio esset impossibilis, adeoque tunc jus possessionis a jure veri domini quoad effectum non distabit.

CCCCLV. Quamprimum autem dominus jus suum manifestat, possessor malæ fidei, cui omnes actus imputantur circa dominii exercitium, non modo cogitur rem restituere, si adsit, atque omne damnum refarcire; sed si res periit ob moram, nec alias fuisset peritura, dominum indemnem servare debet; porro fructus præstare omnes sive *perceptor*, sive *percipiendos*, quibus scilicet vel ipse, vel petitor frui potuisset.

CCCCLVI. Contra possessor bonæ fidei, quia domino ex ipsa re quidem obligatur, non autem ex *facto* in re, quam juste suam putavit, si res deterior facta sit, aut tota perierit, damnum utique non refarcit, aut restituere, tenetur rem ipsam adhuc exstantem & omne ex re proveniens lucrum; quod scilicet possessor ex illa plus habet, quam antea habebat.

CCCCLVII. Atque eo pertinent I. æstimationo tam rei permutatæ, si eam habuerat



gratis, quam donatæ, si aliam fuisset donaturus. II. Dein omnes fructus exstantes, & ii, e quibus locupletior factus est, veluti si suis pepercit; non autem fructus plene consumpti, vel percipiendi. v. L 151. & 206. D. de Reg. Jur.

CCCCLVIII. Sumtus, quos in rem facimus, sive ejus conservandæ, sive fruendæ, sive ornandæ causâ *Impensæ* dicuntur, & sunt vel *necessariæ*, vel *utiles*, vel *voluptuariæ*. Quoniam quilibet tenetur res suas conservare, & meliorare, *impensæ* *necessariæ* & *utiles* restituendæ sunt tam bonæ, quam malæ fidei possessori; nil enim fecerunt, nisi quod dominus ipse facere debuisset, cui porro non licet ex re aliena lucrari.

CCCCLIX. *Impensas* voluptuarias vero quod attinet, eas malæ fidei possessor tantum recipit, si possint *tolli*, hoc est, auferri sine ullo rei detrimento. Ast damni reparationem, quod sentiret tempore restitutionis rei, exigere potest possessor bonæ fidei, si commode *tolli* nequeant.

CCCCLX. Ceterum confundi non debet cum *impensis* id, quod possessor bonæ fidei sponte erogavit pro re acquirenda; si enim hoc reddere illi deberet dominus, re ipsa recuperaret nihil, sufficit igitur possessori saluum sibi esse regressum contra eum, a quo rem accepit; nec quidquam a domino potest postulare, nisi in illa specie, quando rem cer-



to corrumpendam, veluti a pirata, eo animo quis redimit, ut domino eam restituat. Sed nec mercedula inventionis debetur inventori jure perfecto, nisi sit promissa *v. L. 15. de Præscr. Verb.*

CAPUT XVII.

De pactis speciatim beneficis.

CCCCLXI. Introduc̄ta rerum proprietate non eadem erant externæ hominum facultates, sed quidam certis rebus abundabant, quibus alii indigebant; quum autem homines mutuis viribus se se perficere tenerentur, inde orta est obligatio, ut res & operas sibi invicem communicarent.

CCCCLXII. Erat tamen imperfectum illud vinculum, nec quisquam ad suum alteri concedendum invitus cogi poterat, ne secus inutilis fieret introductio dominiorum; igitur quicumque voluit τὸ *alienum* in τὸ *suum* recipere, is quoque domini consensu adeoque pacto opus habuit, & hæc pacta, quatenus perfectam pariunt obligationem, *contractus* etiam appellantur.

CCCCLXIII. *Essentiale* contractus id dicitur, sine quo contractus non est, ita ut vel actus sit plane nullus, vel transeat in alium contractum. *Naturale* est, quod per se inest, & subauditur, sed expressa conventionione potest



abesse; *Accidentale*, quod neque subauditur, sed per pactum adjici potest.

CCCCLXIV. Si res vel operas unus alteri pacto promittit *gratis*, hoc est, absque quod aliquid velit ab eodem recipere, contractus est *gratuitus*, sive *beneficius*; si vero utraque pars ad aliquid præstandum adstringitur, contractus est *onerofus*, seu permutatorius. Translatio *res nostri* in accipientem *gratuito* & *ex liberalitate facta* est donatio generatim, omnis ergo contractus *beneficius unilateralis* est, & aliquam continet donationis speciem, contra contractus *onerofus* semper est *bilateralis* & donationis *expers*. v. L. 19. § 2. D. de Donat.

CCCCLXV. Quidquid donatur, vel est *res ipsa*, vel *rei usus*, vel *opera*. Jam si *RES* ipsa *gratis* confertur, *corporalis* vel *incorporalis*, adest *Donatio* stricte dicta. Si datur *rei usus* *gratis*, aut res est *fungibilis*, quæ constat numero, pondere, mensura, quæque vice rei alterius fungitur ejusdem generis, ut una substitui pro altera possit, ac tantundem sit idem, & nascitur *Mutuum*.

CCCCLXVI. Aut res traditur non *fungibilis*, quæ usu non consumitur, veluti equus, habitatio; & iterum vel 1.) ad definitum tempus & usum conceditur, & fit *commodatum*, vel 2.) ad libitum concedentis, & fit *Precarium*.

CCCCLXVII. Denique si *OPERA* tantum alteri *gratis* confertur, aut hæc opera consistit
in



in re aliena custodienda, & nascitur *Depositum*; aut in negotio alterius sibi commissio gratis gerendo, & dicitur *Mandatum*. Ab his autem contractibus pacta de donando, de mutuo dando, de commodando, de deponendo & mandato suscipiendo distingui debent.

CCCCLXVIII. Regulae donationis sunt: I. Donans alienat vel rem, vel jus, solus igitur dominus potest donare. II. Pacta semel inita servare oportet, igitur secuta donatione res donata tradi debet, nec competit jus revocandi. III. Sed liberalitas nondum acceptata non est donatio, ergo tunc revocatur sine laesione, tam *simplex*, quam *remuneratoria*. IV. Uti in pactis, ita in donatione non plus donatarius acquirit, quam donans se donare velle declaravit, igitur addi conditio potest, veluti si donans ante donatum moriatur, & haec est *donatio mortis causa*. V. Pactum donationis reciprocae tam donantem, quam donatum obstringit, quare ad contractus beneficos haec non pertinet.

CCCCLXIX. Quum *mutuum* sit contractus beneficus, quo res fungibilis datur ea lege, ut post certum tempus in eodem genere reddatur, mutuans rem in genere non alienat, sed ejus usum temporarium concedit, quem porro ante temporis lapsum repetere non potest.

CCCCLXX. Quia temen usus rei fungibilis in abusu consistit, mutuarius jus habet



plene disponendi de specie mutuo accepta, fit datæ speciei dominus, & illius fert periculum. Quare corpora mutuo data alienari constat, non autem quantitatem; est enim alienum, quod nos aliis debemus. * Ideo mutuatarius obligatur mutuuum creditori restituere in eadem quantitate & qualitate, scilicet ut non minus recipiat, quam dederat, & solo usu carere videatur.

CCCCLXXI. *Commodatum* dicitur contractus beneficus, quo res non fungibilis alteri gratis, & ea lege traditur, ut post certum usum & tempus eadem in specie restituatur. Igitur non potest commodatarius magis re uti, quam pacto concessum, secus faceret *furtum usus*, & finito usu tenetur rem in specie, hoc est numero eandem, reddere commodanti; hinc cavere omni diligentia ne res pereat, aut deterior fiat, impensas ad rei usum, v. c. ad alendum equum, necessarias ferre, & si sua culpa res destruat, vel diminuatur, præstare satisfactionem.

CCCCLXXII. Ast quæstionis est, an commodatarius teneatur, α) rem ante tempus restituere, si ea indigeat commodans, aut β) aliam rem præstare, si casu perit res commodata, quæ apud dominum non fuisset peritura. Sunt, qui tacitam urgent conventionem id præstandi; ast stricto jure utrumque negari potest, quia certus rei usus jam ad commoda-

* L. 213. D. de V. S.



datarium pertinet, nec amplius ei adimi potest invito, & quia naturale est, ut res pereat suo domino: quæ jura permanent, donec contrahentes contrarium sufficienter declaraverint; quamvis ratio æquitatis aliud sæpe postulet.

CCCCLXXIII. Si quid promittitur pro usu rei, cessat commodati substantia, & pactum transit in contractum onerosum; aliud foret, si daretur *Honorarium* remunerandi causa, quod antea promissum non est. In *precario* res ad lubitum revocari potest; ergo nulla obligatio adest respectu concedentis, sed obligatur accipiens, rem reddere domino, quandocunque is voluerit.

CCCCLXXIV. *Depositum* definitur: contractus, quo res alicui custodienda traditur, ut quandocunque placuerit, deponenti restituatur. Itaque incumbit depositario diligens rei custodia tempore convento, abstinencia ab omni rei usu, restitutio depositi etiam ante tempus pacto definitum & damni culpa dati resarcitio. Ast culpa non esset, in pari causa res suas præferre, domino potius rem restituere, quam deponenti, & illam furioso penitus abnegare.

CCCCLXXV. Contra deponens omnes impensas ad custodiam rei depositæ factas refundere debet. Ceterum si rei depositæ usus conceditur depositario, vel ei pro custodia quid promittitur, priore casu pactum transit

in



in mutuuum aut commodatum, posteriore casu vero in contractum permutatorium.

CCCCLXXVI. Quia pactum, quo quis negotium alterius sibi ab eodem commissum gratis gerendum suscipit, est *mandatum*, facile patent hæc enuntiata: I. mandans causa moralis est actionum mandatarii, juxta illud: *quod quis per alium facit, per se fecisse videtur.* II. Mandatarius, seu procurator qua talis omnia nomine mandantis agit, eum *repræsentat*, porro jura & obligationes eidem acquirit. III. Tenetur procurator negotium sibi commissum omni diligentia peragere, damnum vero sua culpa illatum reparare.

CCCCLXXVII. Ita est IV. officium perfectum mandantis negotium intra fines mandati ratihabere, procuratorem indemnem servare, si quid de suo erogavit in negotio administrando; non vero si casu fortuito aliquam passus sit jacturam, de qua non fuit cogitatum; ad id enim reparandum non tenetur mandans, nisi pro re nata ex obligatione imperfecta. *v. L. 26. §. 6. D. mand.*

CCCCLXXVIII. V. Qui negotium sibi non commissum ultro & gratis suscipit, mandatarius non est, sed *negotiorum gestor*, *procurator voluntarius*; obligatur tamen quasi ex mandato, eique imputantur omnia, quæ ex administratione rerum alienarum consequuntur. Igitur ejus est rem gerere summa diligentia,
ra-



rationes reddere, & damnum dolo, vel culpa datum emendare.

CAPUT XVIII.

De contractibus permutatoriis generatim, & de rerum pretio.

CCCCLXXIX. Qui res vel operas in alterum gratis conferre non vult, id semper intendit, ut ab altero quoque res vel operas recipiat, sive ut is etiam aliquid det, vel faciat. Nullus ergo est contractus onerosus, qui non ad quatuor illos articulos revocari possit: I. Do, ut des. II. Do, ut facias. III. Facio, ut des. IV. Facio, ut facias.

CCCCLXXX. Quoniam in contractibus onerosis simpliciter talibus omnis donatio exultat, neuter contrahentium vult aliquid gratis concedere, sed uterque illud sibi propositum habet, ut tantum ab altero recipiat, quantum in ipsum transfert, hinc ut usus virium alterius, usui virium suarum æquipolleat, adeoque ut sint æqualia ratione utilitatis ea, quæ invicem præstantur.

CCCCLXXXI. Quare necesse fuit, res corporales, incorporales & operas, utpote objecta reciproce communicanda inter se comparare, id est, earum identitatem, & diversitatem sibi repræsentare, tum *Quantum utilitatis* eisdem tribuere, & ita mutuam earum æqualitatem definire.

CCCCLXXXII.



CCCCLXXXII. Nihil in dominio reperitur, aut alio jure nostro dominii analogo, in quo non aliquem perfectionis atque utilitatis gradum cogitemus. Quantitas perfectionis in universum, & speciatim quantitas utilitatis, quam in re quadam nobis repræsentamus, ejus *valor* dicitur, valoris determinatio *æstimationem*, definitus autem valor rerum, quæ sunt in commercio, seu contractus onerosi capaces, earum *pretium* constituit; quidquid porro in dominio est, suum habet pretium, est id, quod proprium esse nequit, pretii objectum non est. *

CCCCLXXXIII. Actus permutatorii ex mutua necessitate & commoditate ori sunt, hinc objecta, quæ permutantur, *homogenea*, & ejusdem generis plerumque non sunt, sed *heterogenea* atque diversi, quorum porro utilitas vario modo se se exferit. Itaque in valore & pretio continetur relatio quanti duorum objectorum inter se, seu ratio eorum mathematica; quæ ratio in objectis heterogeneis naturalis, seu physica non est, sed moralis, & hominum arbitrio tributa, arbitraria, ficta. Et ideo pretium definitur quoque: *quantitas moralis rebus & operis hominum arbitrio tributa, ut earum ad se invicem ratio definiri possit.*

CCCCLXXXIV. Unitas, quæ adhibetur ad exquirendam magnitudinem alterius objecti, est ejus *mensura*, res vero, quæ eandem
men-

* V. *Plaut. Afn. Sc. III. v. 46.*



mensuram moralem, seu æqualitatem intuitu utilitatis habent, *æquivalentes* vocantur. Ita pretium unius equi, ut hoc utar, intelligi nequit, nisi adsumpta alia re, veluti viginti aut triginta ovibus, cum quibus comparetur; quare certus ovium numerus æquivalens erit equi atque mensura. Hinc hæ duæ res ratione pretii sibi invicem substitui, atque salva æqualitate inter se permutari possunt.

CCCCLXXXV. Quia dominus jus habet disponendi de *res suo* pro lubitu, ei licet rebus & juribus & operis suis majus vel minus pretium statuere, * illudque omni momento variare. Est enim talis *relatio* accessorium domini, vi cujus nostra cum alienis commutare, vel non commutare est permissum. *vid. Gen. XLVII. 14.*

CCCCLXXXVI. Attamen rei *utilitas* sive vera, sive imaginaria, sive communis, sive particularis conjuncta cum raritate, quod scilicet ea res magis minusve usu exauriri possit, pretia rerum gignit, auget, minuitque. ** Sola utilitas sine omni raritate pretium non efficit hinc aqua nullius est pretii, ubi abundat. Nec sola *raritas*, remota omni specie utilitatis, nos ad rei dominium adquirendum impellit, ergo nec ad ponendum pretium: ideo muscæ albæ nullo veneunt pretio.

CCCCLXXXVII.

* Seneca VI. Benef. 15.

** Tacit. Anz. VI. 17.



CCCCLXXXVII. Quoniam nihil in domino est, vel in jure nostro dominii analogo, quod non aliquam habeat utilitatem, & raritatem, consequens est, ut singulæ res dominii vel quasi capaces, cum utilitate & raritate omnium aliarum rerum aliquomodo comparari possint, pretiumque suum habere. Atque hic valor rerum singularum, quatenus hæ per quantitatem cujuslibet alterius objecti reciproce æstimari, & pares fieri possunt, est *vulgare pretium*.

CCCCLXXXVIII. Non semper tamen id uni supererat, quo alter indigebat, verum sæpe quod alter dare volebat, alter adspernabatur; immo difficile plerumque erat quantitibus physicis vel operis mutuam utriusque contrahentis utilitatem æquare, neque eam tamen excedere; & aliquando res ipsæ tantæ erant molis, ut transferri commode non possent. Itaque oportuit excogitare materiam, cujus definita quantitas physica esset mensura pretii cujuslibet objecti. Hæc autem materia, rerum omnium permutandarum vicaria, est *pecunia*; quæ si in certas partes divisa sit atque signata, *moneta* nominatur.*

CCCCLXXXIX. Quandoquidem pecunia communis est rerum omnium permutationis capacium mensura, & æquivalens universale,
po-

* Ita pecuniæ originem philosophicam exponit Ictus Paulus L. I. D. de contr. emt. vend. historicam tradit Salmas de usur. C. XV.



potest illa omnibus objectis permutandis substitui, & venire in locum cujuslibet vulgaris pretii. Et ideo hoc pretium rerum, operarum & jurium per quantitatem pecuniæ determinatum, *pretii eminentis* nomen obtinuit.

CCCCXC. Ex fine autem pecuniæ apparet, cur 1.) materia requiratur, quæ per se utilitatem habeat, & vulgare pretium, 2.) quæ nec nimis rara sit, nec nimis obvia, 3.) quæ sit substantiæ compactæ, ut duret, 4.) quæ dividi etiam in partes minimas, facile custodiri, & transferri possit. 5.) Cur denique metalla fulgentia sint electa, in quibus solis omnia illa requisita perfecte reperiuntur, & cur pecunia *proba* sit, cujus valor impositus materiæ & ponderi respondet, & hinc hodie publica forma, & iconio feriatur.

CCCCXCI. Pecunia inventa est, ut æquivalens sit aliarum rerum æstimationis capacium, atque illis in permutatione substituat; per actum permutatorium transit ex dominio unius in dominium alterius; præcipuus ergo & ordinarius pecuniæ usus consistit in ejus alienatione. Ceterum & patrimonii magnitudo, adeoque *divitiæ*, *commoditas*, *paupertas*, *egestas*, & *mendicitas* cujusvis pecunia æstimantur.

CCCCXCII. *Æquum* est pretium, quod in actibus permutatoriis communi consensu paciscentium introductum, *secus* est *iniquum*; veluti



si per errorem, aut dolum statuatur. * Illud vero pretium naturaliter esset *injustum*, si laborare volenti deficerent res necessariae; quare pretium rerum necessariarum ita determinandum est, ut eadem vilis operæ pretio comparari possint. Et ob eandem causam, si solum spectemus usum, res necessariae minus valere debent, quam utiles, & hæ minus, quam voluptuariae.

CAPUT XIX.

De variis permutationum formis.

CCCCXCIII. Innumeri sunt modi, quibus res, operas vel jura nostra cum rebus operis juribusve alterius permutamus; quidam tamen, utpote frequentiores, speciali nomine designantur.

CCCCXCIV. Commutari autem possunt vel 1.) pretium vulgare rei unius cum pretio vulgari alterius, hoc est, dari res pro re, & fit *Permutatio in specie*, vel 2.) pretium eminens, seu certa pecuniæ quantitas cum re, estque *Emtio Venditio*, vel 3.) pecunia determinata cum usu rei non fungibilis, aut cum opera, & est *Locatio Conductio*, vel 4.) res quævis, aut opera cum usu rei fungibilis, & fit *Fænus*, seu *Contractus fænebris*, vel 5.) pecunia cum pecunia, & *Cambium* dicitur.

CCCCXCV.

* V. Cicero. Ver. IV. 7. Seneca de Benef. V. c. 15.



CCCCXCV. Porro permutatur 6.) dominium utile rei alicujus cum obligatione præstandi α) aut canonem annuum, & est *Emphyteusis*, β) aut fidelitatem, hoc est, curam & diligentiam, ne aliquid in alterius præjudicium fiat, & nascitur *Feudum*, denique si 7.) res vel operæ in commune lucrum conferuntur, *Societas* fit; reliqui sunt innominati.

CCCCXCVI. Permutantes nihil in alterum gratis transferre, sed tantundem ab eo recipere, adeoque servari *æqualitatem* volunt. Quia tamen in statu naturali rerum pretia a cujusvis pendent arbitrio, nec quisquam tenetur in æstimanda re sua stare iudicio aliorum, æquales sunt res, quæ a contrahentibus tales esse censentur. Ii enim jus habent rei, quam alienant, parem tribuendi valorem illi, quam vicissim acquirunt; dummodo nihil de his, quæ ipsam rem contingunt, dolo vel errore reticeatur. Est enim officium permutantium rei vitia manifestare, & si quædam latuissent, vi conditionis naturalis inæqualitatem tollere.

CCCCXCVII. Quoniam *permutatio* in specie contractus est onerosus, quo pretium vulgare pro vulgari præstatur, ad rei nostræ translationem vero in alterum faciendam traditione semper opus non est: patet, 1.) permutacionem contractum esse omnium antiquissimum, 2.) eam que etiam nudo consensu celebrari posse.



CCCCXCVIII. Contractus, quo res traditur pro certa pecunia, est *emptio venditio*, ergo 1.) ad ejus substantiam requiritur *consensus, merx, & pretium emens*. 2.) Emtor obligatur statim pecuniam dare, & venditor dare mercem, nisi aliud conventum, & unus alterius fidem sequatur. 3.) Re in specie vendita, emtor jus in re acquirit ante traditionem, venditor vero debitor est certæ speciei, adeoque si res casu pereat, perit ipsi emtori, quod si eam venditor iterum alienaret, secunda alienatio esset irrita. 4.) Contra pecunia in genere debetur, nec ejus dominus ante fit venditor, quam tradita sit; ei igitur non perit.

CCCCXCIX. Aliquando res aliena venditur; quod si fiat, nisi etiam emtor rem alienam esse sciverit, *naturale* est emtioni, ut venditor debeat *Evictionem* præstare, hoc est, satisfacere emtori ob rem a domino *evictam*, sive jure vindicatam.

D. Ad *accidentalia* emtionis pertinent pacta, quæ passim addi solent, veluti pactum de *retrovendendo*, pactum *prælationis*, pactum, seu *lex commissoria*, ut si emtor non solvat pretium intra certum tempus, res sit inempta; pactum *additionis in diem*, ut si quis intra certum diem meliorem conditionem non obtulerit, res sit empta, aut si obtulerit, inempta. De quibus porro omnibus illud valet: *uti lingua nuncuparunt paciscentes, ita jus esse.*



DI. *Locatio conductio* est contractus de rei usu, vel operis pro certa pecuniæ quantitate, sive *mercede*, præstandis. Qui usum rei vel operam promittit, *locator*, qui promittit pecuniam, seu mercedem, est *conductor*. In specie conductor agri *colonus*, ædium *inquilinus* nominatur.

DII. 1.) Itaque incumbit locatori, rei usum, vel operam præstare per tempus definitum, nec ei licet citius expellere conductorem ob propriam indigentiam. 2.) Conductor tenetur re ita uti, ut non abutatur, tribuere mercedem non obstante sterilitate, rem non deserrere sine justis causis; potest tamen usum suum alteri concedere, *sublocare*.

DIII. 3.) Si locator rem locatam vendat, non plus juris in emtorem transfert, quam ipse habuit, igitur emtor conductorem non potest ante tempus excludere. 4.) Quando finito locationis tempore conductor continuat re uti, silente locatore, fit tacite nova locatio, seu *relocatio*. 5.) Si deponens pro opera, vel commodatarius pro usu rei pecuniam promittant, tam depositum, quam commodatum in locationem abeunt.

DIV. Quemadmodum gratuita concessio usus rei non fungibilis commodatum est, hoc vero in locationem transit, si quis pretium sibi pro usu stipuletur; ita mutuum, quod fit usu rei fungibilis gratis concessio, convertitur in *fanus*, seu *contractum fanebrem*, si aliqua



usura promittatur. Est autem *usura* latius, quidquid pro usu rei alicujus solvitur. *

DV. Acerrime semper disputatum fuit de moralitate contractus *scænebris*. Nos illum legi naturali indistinctim repugnare non putamus. Nam 1.) usus pecuniæ magnam adferre potest utilitatem, igitur non minus suum habet pretium, quam usus rei non fungibilis. 2.) Rei meæ usum gratis alteri dare perfecte non obligor, ut ergo in id consentiam, possum mihi quid ab altero stipulari. 3.) Ob lucrum cessans, vel damnum emergens accipi quascunque usuras posse omnes fatentur; nil ergo vetat, quin illa incerta præstatio certa quadam promissione redimatur.

DVI. Præterea 4.) valet contractus societatis, ut res & opera in *commune lucrum* conferatur, cur ergo non valeat pactum *scænebre*, vi cujus alter rem confert, alter operam? ita tamen, ut, qui rem communicat, lucro majori incerto renuntiet, ut fiat *securus Sortis*, hoc est, rei ad usum concessæ, & modici lucri. 5.) Deus ipsemet permisit Hebræis, ut extraneis *scænerarentur*. ** Quod autem lege naturæ absolute vetitum est, id a Deo per revelationem permissum non est.

DVII. Nec dicant adversarii I. pecuniam esse sterilem, & nullos fructus ferre, II. debi-

* Ideo Plautus: *Nam si mutuas non potero, certum est, sumam scænore. Afin. I. Sc. III. fin.*

** Deuter. XXIII. v. 19. seq.



bitorem esse dominum, illi ergo soli prodesse lucrum debere. Præterquam enim quod pecunia stuctus civiles fert uberrimos, & domus sterilis est, & bibliotheca; locari tamen usus utriusque potest. Dein dominium adquisivit debitor a fœneratore, quæ concessio suam habet æstimationem.

DVIII. Neque urgeas III. damnari usuras in veteri & novo Testamento *, a sanctis Patribus, & Pontificum decretis; siquidem pertinet hæc prohibitio cum ad leges positivas, tum etiam ad usuras mordentes, vel solius mutui titulo acceptas. Ut enim sint naturaliter licitæ usuræ, debent usui pecuniæ, & lucro, quod debitor commode facere potest, attemperari. Dein usuræ & tunc charitati repugnant, quando a pauperibus & iis petuntur, quibus subvenire gratis officium erat nostrum imperfectum.

DIX. Quum *Cambium*, seu *Collybus* sit permutatio pecuniæ cum pecunia; hæc permutatio vel fit in variis speciebus monetæ, & in eodem loco, vel in loco diverso. Illud cambium est *manuale*, hoc cambium *trassatum*.

DX. Ad posterius concurrunt quatuor personæ. I. Qui remittit, *Campsarius*. II. Per quem remittitur, *Campsor*, seu *Trassans*. III. Remissam qui solvit, *Acceptans*, seu *Trassatus*. IV. Cui solvitur, *Præsentans* vocantur. Horum officia

* Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 36.



ex principiis permutationis, & præcipue contractus fænebris deduci & ad innumeras circumstantias aptari debent.

DXI. Contractus, quo dominium utile prædii pro certa pensione annua in recognitionem domini directi præstanda conceditur, est *emphyteufis*. Igitur dominus emphyteuseos directus rem emphyteuticam tradere, emphyteuta vero prædium meliorare & canonem annuum solvere obligantur.

DXII. Et quia canon ex fructibus non accipit mensuram, potest enim esse in re minima, ab eo nec sterilitas, nec interitus partis prædii excusat. Ceterum per naturam determinatum non est, sed ex conventionis formula determinari debet, an statim canone semel non soluto, vel fundo vendito sine consensu domini directi, dominium utile expiret?

DXIII. De *Feudo* in speciali agitur disciplina. Superest *Societas negotiatoria*, quæ quum fit conventio duorum, vel plurium de re, vel opera in commune lucrum communicanda, prono fluunt alveo hæ positiones. 1.) Qui nihil confert, aut nullum ex re collata sperat lucrum, socius non est. 2.) Si societas fit *universalis*, id est, omnium bonorum, naturale est, ut non modo lucrum & damnum, sed etiam *Sors*, hoc est, *pecunia collata* sit communis, & portiones sociorum fiant arithmetice æquales, licet unus minus contulerit & ex justa causa altero plus expendat.

DXIV.



DXIV. 3.) Si vero societas est *generalis*, nimirum eorum, quæ opera, & negotiatione acquiruntur, aut *particularis* in rebus, vel operis singularibus, exigit natura contractus, ut lucrum & damnum pro rata geometricè dividatur, fors autem sua cuique sit salva. 4.) Ut reliqui contractus, ita etiam societas tempore convento durare debet, nec uni ab ea recedere licebit altero invito, si modo & hic leges contractus observet.

DXV. *Alea* est incertus eventus, qui nobis lucrum & damnum adferre queat. Itaque 1.) si uni contrahentium de eventu certo constet in contractu, alea amplius non est. 2.) Quoniam quilibet de re sua potest disponere, immo illa in foro externo abuti, dubium non est, quin valeant *contractus aleatorii* de re in se honesta celebrati, veluti de jactu retis pro certo pretio tradendo.

DXVI. Sunt autem & hi *Contractus*, vel *benefici*, vel *onerosi*, & in posterioribus tum servatur æqualitas, si inter metum damni, & spem lucri proportio habeatur, & porro contrahentes ab omni dolo & fraude abstineant.

DXVII. Huc spectant præcipue *Emtio spei*, *Lotaria*, *Olla fortunæ*, *Contractus assicurationis*, *Bodemeria*, *Decisio per sortem*, sive *electricem*, sive *attributricem*, sive *divisoriam*, *Census vitalitius*, & tandem *Contractus lusorii*, qui tum demum se recte habent, si & lucrandi cupi-



ditatem & nimiam rerum & temporis profusionem fugiamus. *Cic. Off. I. 29.*

CAPUT XX.

De jurejurando, aliisque modis, quibus pacta confirmantur.

DXVIII. Signa aut sermone, quibus veracitatem & sinceritatem nostram confirmamus, sunt *Adseverationes*, seu *Contestationes*. Illa autem *Contestatio*, qua ad vindictam divinam sub conditione *falsiloqui* moralis provocamus, *Jusjurandum* dicitur, & quidem *promissorium*, si quis promissionem a se factam firmet, secus *adsertorium*. Igitur *insanus*, *demens*, non jurant, nec qui tantum legens *Juramenti* formulam, non præferunt animum jurandi. *Ovid. Heroid. XXI. v. 135.*

DXIX. Finis juramenti ex parte ejus, qui jurat, est, ut verbis suis conciliet majorem fidem. Qui enim Deum esse agnoscit ens omniscium, omnipotens, & justissimum, non præsumitur esse tam malus, ut fidem fallere, ac divinæ misericordiæ renuntiare velit. Alter finis est ex parte illius, cui juratur, ut de veracitate & sinceritate jurantis certior & securior fiat. *Cic. Off. III. 31.*

DXX. Quum nihil inconsulto, nihil temere agere liceat, multoque adeo minus alterum fallere religionis obtentu, aut divino nomine abuti, perpicuum est, cur *judicium*, *justitia*,
&



& *veritas* quasi tres jurisjurandi comites statuuntur, * qui si adsint, jurans Dei manifestat attributa, ejusque adeo gloriam illustrat. Non igitur alia in sacris literis prohibentur juramenta, quam quæ sine ulla necessitate, & ex levi animo præstantur. *v. Matth. V. 33.*

DXXI. Motiva, quæ jurantem impellere debent ad dicendam veritatem, aut pactum fervandum, sunt Dei omniscientia, omnipotentia, & justitia. Igitur inutile esset jusjurandum, si vel per id præstaretur, quod pro tali ente jurans non agnoscit, veluti per caput, oculos, salutem principis, anserem, numerum ternarium; aut si is juret, qui Deum esse negat, vel illum putat res humanas parum curare.

DXXII. Ex quo consequitur, ut jusjurandum religioni jurantis accommodandum sit. Qui enim per falsos Deos jurat, quos veros credit, eos, ut omniscios, omnipotentes, & justissimos sibi repræsentat; ergo respectu ipsius perinde est, ac si per verum Deum jusjurandum præstitisset. *Martial. Epigr. XI. 94. & Can. 16. Caus. XXII. q. 1.*

DXXIII. Et quia tale juramentum acceptans, aut etiam deferens, causa moralis non est, cur alter erroneam de Deo opinionem foveat, cessat ratio, ob quam eidem actus superstitionis, & idololatriæ imputetur. *Vid. Gen. XXXI. v. 53.*

DXXIV.

* *Jerem. IV. 2.*



DXXIV. Qui Cajo centum promisit, & eos se daturum juravit, non quidem ad ducentos obligatur, & eatenus (nimirum ratione objecti) jusjurandum duplicem obligationem non parit; quia tamen per juramentum nova accedunt motiva servandi, quod promissum est, dubitari nequit, quin novum etiam vinculum respectu jurantis producat; & ideo prior obligatio *vinculum Justitiæ*, posterior *vinculum Religionis* dicitur.

DXXV. Quoniam jusjurandum novam obligationem efficit *Religionis*, intuitu Dei, non autem *Justitiæ*, respectu ejus, cui juratur, quippe quæ ex pacto proficiscitur; si desit pactum, tunc in foro externo cogi jurans non poterit, ut præstet, quod juravit. Sed facere id tenebitur respectu religionis, & in fore interno, si saltem valeat declaratio jurata, veluti si quis sacramentum dicat se mille inter pauperes distributurum.

DXXVI. Si igitur pactum sit nullum, v. c. ex defectu acceptationis, inde non sequitur statim etiam jusjurandum non valere; quamvis enim sola Dei invocatio ex non pacto pactum haud faciat, tamen jusjurandum ratione promissionis valere potest, & hoc sensu in foro interno *omne jusjurandum servari debet, quod servari potest sine dispendio animæ*, propter Religionis vinculum.

DXXVII. Sed si pactum vel turpe foret, vel physice impossibile, sicuti non obligat



pa c tum ex justitia , ita non devincit ex Reli-
gione jusjurandum , quod nec esse vinculum
iniquitatis , nec irritam promissionem vali-
dam efficere potest. Præterea vero semper
Dei gloriam obscurant illi , qui hujusmodi
impio , vel temerario jurejurando sese polluant.

DXXVIII. Atque hoc sensu , quem modo
evolvimus , verum est , *jusjurandum sequi naturam
actus , cui adjicitur* ; conditiones enim , quæ
pa c to tacite insunt , ad jusjurandum quoque
spectant. Sic si quis gemmas spurias pro ge-
nuinis emat , & juret pretium se soluturum ,
tacite intelligit , si gemmæ sint genuinæ , quæ
ipsa conditio etiam juramento inest.

DXXIX. Quare si non adest in mentis de-
claratione pa c tum , adjectio juramenti obliga-
tionem justitiæ quidem non gignit. Sed ad
ponendam obligationem *Religionis* satis est ali-
quem liquido , & sine ulla conditione de re
possibili jurasse , & saltem promissionem vale-
re , etiam si irritum esset pa c tum , ob accepta-
tionis defectum.

DXXX. Ex hisce intelligitur , cur , etsi pa-
ctum metu injusto extortum sit irritum , ta-
men violari nequeat jusjurandum illi adjec-
tum , dummodo promissio tam physice , quam
moraliter teneri possit.

DXXXI. Et ideo non obstat , quod ajunt
nonnulli , eum , qui jurat , sibi manum am-
putaturum , non obligari , ergo neque eum ,
qui jurat se daturum centum ; possunt enim



centum promitti etiam sine juramento, non vero manus abscissio. *Vid. Cic. Off. III. 31.*

DXXXII. Jusjurandum ejus, qui se verum dicere jurat, dum sciens falsum dicit, est *Pejeratio*, violatio vero juramenti rite præstiti *Perjurium* dicitur. Est ergo pejeratio mendacium juratum, & perjurium perfidia jurata; utraque actio divinis perfectionibus contraria est, & blasphemix species. *Vid. Cic. Off. III. 29.*

DXXXIII. Sunt & alii modi firmandi conventiones; veluti *Oppignoratio* & *Fidejussio*. Illa est actus, quo creditor *jus in re* constituitur, ut debito principali non soluto, ex eadem in subsidium ipsi satisfiat.

DXXXIV. Res ita obligata *Pignus*, jus vero creditori acquisitum *Jus Pignoris* nominatur; pignus, quod traditur creditori, est *Pignus in specie*, quod vero manet penes debitorem, est *hypotheca*.

DXXXV. Ex his pronum est intelligere has conclusiones. I. Ex natura pignoris non licet creditori uti frui re oppignorata, id tamen potest ei concedi per pactum adjectum, quod dicitur pactum *Antichreseos*. II. Tenetur debitor intra definitum tempus pignus luere, id est, debitum solvere, ob quod pignus constitutum est.

DXXXVI. III. Debito non soluto jus habet creditor efficiendi, ut sibi ex re obligata satisfiat, adeoque eam distrahendi, vel tanquam
suam



suam sibi habendi; non tamen rei pretium, quod debitum excedit, seu *Hyperocham* retinere potest. IV. Pignore casu pereunte debitor ab obligatione principali non liberatur. Ceterum datur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris.

DXXXVII. Contractus, quo quis promittit se præstaturum, quod alius debet, nisi ipse præstet, est *fidejussio*. Itaque I. adsunt tunc duo debitores, principalis & accessorius. II. Posterior tantum sub conditione se obligavit, igitur conveniri nequit, nisi excusso principali; hinc habet fidejussor ex fidejussionis natura *beneficium ordinis*. III. Si debitum principale sit irritum, irrita est etiam fidejussio; quæ porro statim cessat, quando principalis præstitit, quod debebat.

DXXXVIII. Actus, quo quis de re securus redditur, *cautio* vocatur; alia igitur est nude promissoria, alia juratoria, alia pignoratitia, alia fidejussoria, seu *satisfactio*. Continet autem omnis cautio conditionem obligationis primariæ, neque sola, qua talis, subsistere potest. Ceterum hæc cavendi necessitas est quoddam humanæ perfidiæ testimonium.



CAPUT XXI.

De modis, quibus obligationes & contractus cessant.

DXXXIX. Tollitur obligatio, si, qui alteri obligatus erat ad aliquid dandum vel faciendum, obligatus esse desinit, sublatio autem obligationis *liberatio* nominatur.

DXL. Præstare id, quod debetur, est *solvere*. Solutione facta creditoris jus cessat, ergo etiam obligatio debitoris est extincta. At solutio non est, nisi *totum, loco, tempore, modoque debito* præstetur; *dari ergo in solutum*, seu aliud pro alio solvi nequit creditori invito, nisi præcisa ac vera solutio sit impossibilis, & tamen obligatio ad tantundem præstandum subsistat.

DXLI. Is compensat, qui debitum soluturus, id in solutum imputat creditori, quod hic ipsi debet. Quum aliud pro alio invito solvi nequeat, ea tantum compensari poterunt, quæ sunt omnino æquivalentia, nimirum genus cum genere eodem; tunc enim, qui compensat, *brevi manu solvit*, & ab obligatione liberatur. Contra, debitum liquidum, in quo certo constat *quid, quantum & quale* debeatur, cum illiquido, facta cum factis, vel genus unum cum genere diverso, aut cum specie compensare non licebit, nisi & alter consenserit.

DXLII.



DXLII. Quemadmodum in mora est debitor, si a die vel ab homine interpellatus non solvat, & hinc ad resarciendum damnum datum tenetur, ita creditor est in mora, si solutionem oblatam sine causa non admittat; damnum porro ortum ex omiſſa rei adprehensione ſoli creditori imputandum eſt, & eatenus debitor *debiti oblatione obligatus eſſe deſinit.*

DXLIII. *Re in ſpecie debita pereunte perit jus in illa conſtitutum, & impoſſibilis eſt ejus præſtatio, ergo etiam obligatio illam præſtandi ceſſat.* Quod ſi factum alterius injuſtum ſit interitus cauſſa, ſuccedet jus petendi reparationem, ſi vero res pereat caſu, ei plene perit, qui rei eſt dominus, aut jus aliud in eadem adquiſivit.

DXLIV. Nemo plus juris in alterum transfert, quam ſe transferre velle declaravit; igitur, qui ad tempus vel pro certo ſtatu, aut ſub conditione ſe obligat, ſi tempus labitur, ſtatuſ mutatur, vel conditio deficit, ab obligatione eſt immunis.

DXLV. Et quia in pactis reciprocis *capita præſtandorum priora poſterioribus inſunt per modum conditionis, quaſi ita dictum foret: præſtabo, ſi & tu præſtiteris, patet, cur ob alterius perfidiam obligatio partis innocentis rumpatur.* Grot. III. c. 19. §. 14.

DXLVI. Jus, quod quis ex pacto habet, in alterum poteſt transferre, & etiam in ipſum debitorem. Hæc translatio ſi fiat ab uno



gratis, dicitur debiti *remissio*, *acceptilatio*, *pac-tum de non petendo*; si autem remissio sit reciproca in pacto bilaterali, vocatur *mutuus dissensus*. Ita-que tam remissio, quam mutuus dissensus re adhuc integra, sunt pacta liberatoria, jus creditoris tollunt, & obligationem pactitiam extinguunt. *vid. L. 35. D. de R. J.*

DXLVII. Fac autem pacto jusjurandum accessisse, quoniam condiciones naturales pactorum etiam juramentis insunt, cessante per remissionem vel mutuuum dissensum obligatione justitiæ, obligatio quoque Religionis cessabit. Ast si præterea jurassent paciscentes se nunquam dissolvere pactum velle, tollet quidem remissio, vel mutuus dissensus vinculum justitiæ, ast vinculum Religionis permanebit.

DXLVIII. Sicut creditor totum debitum simpliciter remittere potest, ita eidem licet, illud sub conditione alterius præstationis condonare, igitur obligationem *novare*, *assignationem* sibi factam acceptare, & ita *delegationem* perficere, aut jus suum tertio *cedere*.

DXLIX. Est autem *novatio* pactum, quo prior obligatio in aliam transfunditur manente eodem debitore & creditore, mutata scilicet debendi causa vel modo. *Assignatio* autem est actus, quo debitor soluturus alium substituit, qui vice sua solvat nondum creditore consentiente. Is, qui substituit, *assignans*, qui substituitur, *assignatus* adpellantur.



DL. *Delegatio* pactum est, quo creditori acceptanti debitor vice sua alium debitorem expromittentem substituit. *Expromittere* vero dicitur, qui obligationem alterius principalem in se suscipit: quare tres in delegatione debent consentire, *delegans*, seu debitor primus, *delegatus*, seu debitor substitutus, & *delegatarius*, seu creditor.

DLI. *Cessio* est actus, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero, qua in re consensu *cedentis* quidem & ejus, cui ceditur, seu *cessarii*, opus est, non vero debitoris. Cujus rei causa non est, quod cedens mandantis, *cessionarius* vero *mandatarii* vice fungantur, sed quia cuilibet de jure suo licet disponere etiam inscio altero atque invito, dummodo nullum inde debitor detrimentum patiat.

DLII. Ex his haud obscurum est a) *novatione* quidem obligationem priorem tolli ejusque accessorias, veluti *fidejussionem* & *pignora*, sed debitorem principalem ex alio debito teneri. β) *Adsignatione nuda* primum debitorem non liberari, bene vero *delegatione*, etiamsi secundus debitor seu *delegatus* solvendo non sit. γ) Denique per *cessionem* solvi quidem jus prioris creditoris, sed in ejus locum venire *cessionarium*, & re ipsa obligationem debitoris haud cessare.

DLIII. Secum ipso pacisci, atque adeo ex contractu sibi aliquid debere nemo potest; quare si debiti fiat & crediti *confusio*, cum sci-



licet vel debitor in personam creditoris, vel creditor in personam debitoris succedit, necesse est obligationem perimi.

DLIV. Est etiam vulgare adagium: *mors omnia solvit*; mortui enim nec obligationis, nec juris sunt capaces. Attamen non indistinctim creditores mortuo debitore jure suo cadunt; si enim jus est hujusmodi, quod in rebus a defuncto relictis æque potest exerceri, tunc obligatio ad earum possessores transmittitur; & ideo emtio venditio, locatio conductio, & quæ ejusdem generis sunt conventiones, etiam ad hos pertinent.

DLV. At si jus erat in sola persona radicatum, cujus nimirum specialis industria & conditio fuerat electa, eatenus verum est, morte paciscentis hujusmodi obligationes atque jura exspirare. Quam ob rem contractus *societatis* vel *mandati* mortuo alterutro contrahente plene finiuntur.

CAPUT XXII.

De Legum ac Pactorum interpretatione.

DLVI. Aliquid interpretari, est verum ejus scopum declarare. Scopus vel ad operationem quamdam pertinet, vel ad cogitationum signa. Itaque interpretatio vel *rerum* est, vel *verborum*.

DLVII. Equidem ars interpretandi in Logica & Critica propriam sedem habet: quum



vero magnus etiam ejus usus fit in jurisprudentia, hinc est, ut generales interpretationis regulæ in illis disciplinis traditæ, in hac nostra magis determinari, & variis speciebus adplicari soleant.

DLVIII. Neque enim audiendi sunt, qui in jure naturæ interpretationi locum esse negant, quod leges naturales sint evidentes, mentibus nostris insitæ, non voce, vel scriptura prolata. Proin veniant eæ a Legislatore sapientissimo, qui obscure locutus non sit, & ideo superflua illarum interpretatio esse videatur.

DLIX. Et si enim leges naturæ primariæ evidentes sunt, tamen multæ, quæ sunt remotiores, sine ratiocinio & interpretatione evolvi nequeunt. Verbis quidem illæ promulgatæ non sunt, ast inde non sequitur, ut inutilis sit interpretatio rerum, seu scopi essentialis, ad quem nos ducunt connati nobis stimuli. Porro pacta voce aliisve signis proferuntur, quorum vis etiam declaratione indiget. Denique obscuritas si non est ex parte Legislatoris, est tamen ex parte nostri intellectus, quæ dilucidanda.

DLX. Si verba fixam semper haberent potestatem, & loquentes nunquam non satis mentem suam exprimerent, opus haud foret verborum interpretatione, ast contrarium obtinet: & ideo interpretatio necessaria est.



DLXI. Qua in re prima illa tenenda est regula: interpretatio neque ex mente loquentis, neque ex mente audientis tantum fieri potest, ne quemcunque sensum sibi adfin-gendo, vel promittens promissionem eludat, vel acceptans plus juris prætendat, quam al-ter transferre voluit. Sed quilibet eam tene-tur admittere vocum significationem, quam recta interpretatio suggerit. *v. Cic Off. l. 13.*

DLXII. Quisque autem præsumitur verba in sensu famoso & populari accepisse, ad id enim obligatur; igitur in iis interpretandis non licet recedere a communi loquendi usu ejus temporis, quo adhibita sunt, nisi adsint rationes urgentes in contrarium, seu con-jectura, quæ ducat alio. *v. L. 7. D. de sup. leg.*

DLXIII. Ex hisce patent hæ conclusiones: α) antiquis legibus & pactis non ea tribuenda significatio est, quam hodie verba habent, sed quam habebant olim, β) nec quæ recentius prolata sunt, ex primitiva significatione, seu Etymologia explicari queunt. Secus voces ty-rannus, fur, hostis, sophista, regem, servum, pere-grinum, sapientem hodie uti olim designa-rent, contra mentem loquentis & communem usum.

DLXIV. Eadem de causa termini artium technici accipi debent in significato apud ar-tis peritos recepto, hic enim popularis est & famosus; si modo artis peritus sit, qui illis utitur, cujus rei exemplo voces *Exerci-tus,*



ius, *Majestas*, *Canadia* esse possunt. Semper vero erronea esset interpretatio; quæ cum restrictione mentali fieri vellet.

DLXV. Sæpe tamen multiplex est sensus famosus, sive unius vocabuli, v. g. *Gallus*, *Jus*, sive integræ constructionis, v. g. *Lego Cajo mille*, quum duo sint *Caji*, & mille vel aurei, vel floreni, vel libræ subaudiri possint. Tunc autem spectanda est conjectura personæ loquentis, loci, temporis, modi, causæ, & finis, juxta versiculum: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

DLXVI. Speciatim vero I. *Substrata materia*, II. *Effectus*, & III. *Conjuncta* considerari debent. Est vero substrata materia objectum, de quo sermo fit, ad illud igitur verba sunt attemperanda, quoniam præsumuntur objecto consentanea esse, quæcunque de illo dicuntur; nec de re cogitanti alia succurrisse videntur vocabula, quam quæ rei denotandæ destinata sunt, & quæ cum ea naturalem connexionem habent v. L. 90. de V. obl. L. 7. de R. J.

DLXVII. Porro verba accipienda, ut aliquem habeant effectum, & ne temerarium quid, aut absurdum, hoc est, physice vel moraliter impossibile sequatur; quia nemini in dubio tribuere licet, quod a ratione alienum est. v. L. 19. D. de L. L.

DLXVIII. Nec minus verborum potestatem declarant *conjuncta* vel *origine*, & *loca*, id est,



quæ sunt ab eodem auctore, & in eodem libro, vel *origine tantum*, sive *loca parallela*. Quum enim nemo censeatur sibi ipse repugnare, & tamdiu quisque idem velle præsumendus sit, quamdiu non constat voluntatem immutasse, sequitur, ut interpretatio ita semper fieri debeat, ut verba obscura per alia clara exponantur, & ut antecedentia & consequentia inter se cohæreant. v. L. 24. D. de L. L.

DLXIX. Ad conjuncta loci potissimum pertinet ratio & finis propositionis, sive lex ea sit, sive pactum. Est autem ratio *caussa*, respectus, ac *ymis*, qui ad propositionem illam proponendam auctorem movit. Ubi illa obtinet regula: *Eam sequi oportet interpretationem, quæ rationi non repugnat.*

DLXX. Posita enim ratione, & id ponitur, propter quod aliquid potius est, quam non est, sed per rationem voluntas determinatur, itaque cognita ratione etiam voluntas patescit, & contra cessante ratione unica & finali voluntatis, hanc quoque cessare necesse est.

DLXXI. Ceterum legis naturalis ratio ex hominis natura ac fine, ratio vero legis positivæ ex historiis potissimum discenda est. His luminibus igitur, qui carent, eos cæcos esse interpretes oportet.

DLXXII. Tenemus modo triplicem interpretationis speciem, vel enim loquimur, quæ
sen-



sentimus, & tunc verba per interpretationem *declarativam* in sensu vulgari accipi debent.

DLXXIII. Vel minus loquimur, quam sentimus, ut ratio latius pateat, quam verba, & tunc adhibetur interpretatio *extensiva*. Unde, qui ob inopiam vetat exportari frumentum, farinam, quoque subaudire intelligitur.

DLXXIV. Vel plus loquimur, quam sentimus, ut verba latius pateant, quam ratio, & eo casu fit interpretatio *restrictiva*. Hinc lex: Nemo in via sanguinem fundat sub pœna capitis, non comprehendit chyrrurgum, qui agrotantis venam fecat.

DLXXV. In fraudem legis vel pacti agere is dicitur, qui salvis verbis legis vel pacti sententiam circumvenit; igitur illam semper eligere debemus interpretationem vel *extensivam*, vel *restrictivam*, per quam nulla fiat legi fraus. *vid. L. 29. D. de L. L.*

DLXXVI. Solet & illa dari regula: *Odia esse restringenda, favores ampliandos*; sed quum odiosum & favorabile, quid sit; haud definiant, & idem odiosum & favorabile esse possit sub diverso respectu, ideo inutilis est hæc regula, præsertim quod sæpe pœnas extendere, præmia autem restringere oportet ex legis ratione, vel ceteris conjecturis. Itaque æquitas semper præ oculis habeatur, & id, quod diceret, qui est locutus, si præsens esset, vel cognita



ei fuissent, quæ nunc palam sunt, v. L. 10.
11. 24. D. de reb. dub. L. 17. D. de sup. Leg.

CAPUT XXIII.

*De remediis, quibus jus suum persequi
liceat in statu naturali.*

DLXXVII. Examinauimus hucusque regulas, quibus humanæ actiones attemperandæ sunt, & quarum custodia summam, quæ in hac vita haberi potest, mortalium felicitatem efficeret; docet tamen experientia non paucos vel ignorantia, vel etiam dolo ab iisdem deflectere, & cum obligationes erga Deum, & se ipsum, tum etiam aliorum jura violare: agendum est itaque de nouis mediis, quibus harum legum transgressores in officio contineantur.

DLXXVIII. Internus Dei cultus in animo & corde est; quum ergo homines corda scrutari nequeant, nec intellectus physicam coactionem patiat, in promptu est ad hunc cultum neminem externa violentia cogi posse, neque aliud dari medium, quam incios & errantes verbo ac doctrina erudire.

DLXXIX. Sed nec homini hominem sibi æqualem ad actiones externi cultus naturaliter compellere licebit. Ritus enim ac ceremoniæ, in statu naturæ & præscindendo a reuelatione, signa sunt libere instituta, & quæ porro a cuiuslibet arbitrio pendent. Quid,
quod



quod si alter alterum vi cogere posset, ut ideas, quas ipse de Deo habet, amplectatur, nemo esset, cui non omni momento ab insana aliorum superstitione turbæ & violentiæ imminerent? *cf. Covarruvias ad cap. peccatum P. II. §. 10.*

DLXXX. Nec salva maneret æqualitas naturalis, & independentia ab alieno arbitrio, si quis alterum ad officia sibi ipsi tantum debita, vel officia erga alios affirmativa, & quæ in augendis aliorum perfectionibus consistunt, vi externa compellere posset. Nihil ergo superest, quam ut tunc ad persuasiones, consilia, preces, aliasque coactiones internas recurramus.

DLXXXI. Contra fac alterum turbare mea æqualitatis & independentiæ jura, ita ut læsio animi, corporis, vitæ, membrorum, ceterarumve rerum mearum vel jamjam immineat, vel actu inferatur, vel plane sit secuta; fac porro hæc mala non aliter averti posse, quam si læsionem intentans aliis a me malis physicis adficiatur, aderit tum collisio officiorum erga se ipsum, & erga alios. Quamobrem *in pari causa* sic fieri debet exceptio, ut officia erga me ipsum officiis erga alios præferantur.

DLXXXII. Tunc igitur tot alteri mala inferre licebit, quot erunt necessaria ad finem propriæ conservationis obtinendum, ea scilicet omnia, quæ durans status collisionis exigat, donec pro læsione præsentem *depulsio*, pro præ-



præterita reparatio, vel satisfactio, pro futura securitas sufficiens obtineatur.

DLXXXIII. Quoniam facultas vi alterum cogendi ex statu collisionis oritur, nec ad alia media Jus competit, quam quæ necessaria sunt ad læsionem avertendam: consequens est, ut media duriora adhibere non liceat, quamdiu leniora sufficiunt. Si quis enim statim durioribus utatur, media impendit non necessaria, & ad quæ non habet jus, media porro injusta: atque adeo læsus fit lædens, quamprimum excedit defensionis modum.

DLXXXIV. Quamdiu igitur spes est fore, ut alter verbis, aut innoxiiis factis a læsione futura absterreatur, aut ad læsionem forte ex errore & ignorantia illatam reparandam disponi possit, tamdiu manum conferere esset injustum. Quod ipsum dicendum est, si is, cujus nudæ declarationi de non lædendo, aut læsione resarcienda fidem præstare satis tutum non est, paratus sit dare alias cautiones, velut fidejussores idoneos, aut pignora.

DLXXXV. Ex hisce principiis porro fluit, ut si duo vel plures de jure eodem sibi competente mutuo contradicant, seu *litigem*, rem *litigiosam* statim adserere, qui eam præterdit, non possit, si etiam adversarius, qui *protestatur*, a vi absteineat. Verum, quia bona fides alterius, & jus putativum facit, ne teneatur jure suo cedere, nisi eidem de justitia prætertionis constet; id imprimis agendum, ut præ-
ten-



tensio, cujus fundamentum alter juste ignorare potest, eidem certa reddatur, hoc est, *probetur. cf. Terent. Eunuch. IV. 7. 19.*

DLXXXVI. Quæ aliunde sunt manifesta, probatione non indigent. Jura connata veluti naturalis æqualitatis, libertatis, bonæ existimationis, justæ ignorantia, ex ipsa natura hominis intelliguntur, qui ergo in illis se se fundat, ea probare non tenetur, sed pro eodem stat præsumptio, donec alter ostenderit contrarium.

DLXXXVII. Versatur porro omnis probatio circa jura & obligationes acquisitas, adæoque circa *factum*, & quidem primo, an illud factum existat? dein an factum sit justum? de quo id tenendum, ut qui factum alienum obligatorium, vel 1.) licitum, vel 2.) illicitum, aut 3.) factum proprium, quo jus acquisivit, allegat, ei probatio incumbat; siquidem adversarius nititur juribus connatis, scilicet in prima specie libertate naturali, in secunda bona existimatione, & in tertia justa ignorantia.

DLXXXVIII. Ast qui, quod fecit, se juste fecisse affirmat, ob eandem causam scilicet ob jura connata bonæ existimationis & legitimæ ignorantia, a necessitate probandi liberatur, atque ideo inter cetera possessionis jura & illud est, ut ea onus probandi in alterum rejiciat. *cf. L. 2. D. d. Prob.*

DLXXXIX. Fit autem probatio facti, vel *artificialis* ex ipsa negotii natura, inspectione
ocu-



oculari, aliave experientia, vel *inartificialis* per *jusjurandum*, per *instrumenta*, seu *scripturas*, in quibus facta referuntur, & per *testes*, qui sunt personæ, quarum testimonio ad fidem facti faciendam utimur.

DXC. Et quia unus testis, si astutus est, contradictionis & falsitatis convinci non potest, dein logice falsum esse posset, quod moraliter verum est, ad probationem vero facti veritas logica requiritur: inde est, quod unus testis, etsi fide dignus & oculatus, sufficienter factum ejusque circumstantias diversissimas non probet, sed ad minimum duo vel tres testes adhibendi sint, qui *possint* & *velint* verum dicere, adeoque nullum ex testimonio lucrum expectent. *Vid. L. 1. §. 1. C. de Testib.*

DXCI. *Lis decidi* dicitur, si applicato facto adjus ostendatur, a cujus parte stet veritas. Itaque secuta sufficiente probatione, qui de alterius jure dubitat, vel illud ignorabat, de eo certus fit; litem ergo continuare nequit, sed debet jus adversarii agnoscere, & a prætensione cessare. Quare probato eo, quod erat controversum, *lis naturaliter est decisa*.

DXCII. Ubi sufficientes probationes deficiunt, id quidem pro certo haberi debet, quod ex jure cujusvis connato antea collegimus, ut in dubio melior sit conditio possessoris. * Sæpe tamen eæ obveniunt circumstantiæ, ut iis neque ex
ge-

* Cf. *Grot. II. XXIII. 11.*



generalibus his principiis decidi possit; veluti si ex duobus geminis non constet, quinam primo natus sit, aut si fundus Titio relinquatur, sed ignoretur cui? quum duo sunt Titii. Tunc vero uni ab altero *suum jus quantumvis dubium invito auferri non potest.*

DXCIII. Et si enim neuter litigantium jus certum habeat proprium sequendi iudicium, neutri tamen obligatio incumbit, alterius iudicio se subjiendi; ac porro nec uni, nec alteri rem litigiosam totam licebit vi extorquere tam propter jus æqualitatis, quam quia coactioni locum non facit natura, sed alterius injuria & læsio, quæ hic ex utraque parte est incerta.

DXCIV. Itaque ubi dubium durat, colloquia habere, instituere *tractatus*, seu deliberationes de pacto ineundo, pacis procuratores & *arbitratores*, hoc est, personas, quæ ad litem sopiendam operam suam & consilia sine partium studio conferant, adhibere, hinc litem *decidi* nesciam mutua conventionione finire, sive componere oportet.

DXCV. Fit autem litis compositio vel *gratuita*, quum jus controversum uni ab altero ceditur gratis, & dicitur *compositio amicabile* in specie, vel *onerosa*, quando dato aliquo vel retento, vel promisso a præensione disceditur, & hæc conventio vocatur *Transactio*. Quoniam pacta servanda sunt, in aperto est, post amicabilem litis compositionem,



nem, vel transactionem, teneri utramque partem adquiescere, & litem terminari.

DXCVI. Si neque hisce modis conveniant litigantes, *facere poterunt compromissum*, hoc est, pactum de stando pronuntiationi certæ personæ, seu *arbitri*, qui si consentiat & *recipiat arbitrium*, ejus erit officium, causam rite cognoscere, probationes examinare, & sine respectu personarum pro rei veritate pronuntiare sententiam, sive *Laudum*; illudque implere ambo litigantes vi pacti perfecte tenebuntur.

DXCVII. Denique si & hoc displiceat remedium partibus, ad contractum aleatorium, hoc est, sortem decisoriam recurrere licebit. *cf. Prov. XVIII. v. 18.*

DXCVIII. Quoniam remediis violentis ad avertendam læsionem tunc tantum Jure utimur, quando modi placidi sunt frustranei, consequens est, ut si nec amicabile compositio, nec transactio voluntaria, nec arbitrium, nec fors locum habeat, jus violentæ defensionis contra lædentem in usum deduci, ipsaque adeo transactio, in re dubia, qua tali, vi extorqueri possit. Ac porro non quævis læsio, sed ea, quæ aliter averti nequit, sive *aliter indeclinabilis*, justificata est coactionis physicæ causa. *Cic. Off. I. 11.*

DXCIX. Animus declaratus alteri vim inferendi est *Hostilitas*, & qui talem animum habet, *hostis* dicitur. Igitur uti belli (§. 146.) in ho-



hostilitatis jure ii tantum gaudent, qui patiuntur læsionem, non qui illam intentant.

DC. Quare bellum ex utraque parte justum reipsa repugnat. Sed fieri tamen potest, ut ultro citroque injustum sit, veluti si in re dubia neuter æquas compositionis conditiones admittere velit. Si enim unus ad transigendum paratus sit, idque facere alter recuset, tunc posterior tantum est lædens, & bellum gerit injustum.

DCI. Qui primos actus hostilitatis exercet, seu *adgressor*, bellum *offensivum*, qui iis resistit, bellum *defensivum* gerere dicuntur, datur itaque jus tam ad bellum offensivum, si læsio ab altero sit illata, vel certo immineat, quam ad defensivum, si læsio & violentia actu inferatur.

DCII. Quatenus tamen primi actus hostilitatis supponunt læsionem, quæ non præsumitur, sed probanda est, eatenus omne bellum offensivum, sive ejus, qui primus hostiliter agit, præsumitur injustum, & contraria ratione omne bellum defensivum, seu ejus, qui resistit, præsumitur justum.

DCIII. Sunt, qui per bellum *defensivum* intelligunt, quod geritur a læso, etsi primos exercent actus hostilitatis, & per *offensivum*, quod suscipitur a lædente, & eo sensu omne bellum defensivum esset justum, omne offensivum injustum. Sed posteriores hæ acceptiones repugnant communi loquendi usui.



DCIV. Justus hostis omnem necessariam vim contra lædentem jure exercet; quanta vero vis requiratur, id non nisi ex obviis circumstantiis definiri potest; nunc enim gravior læsio remedio leniori, nunc læsio minor remedio duriori tantum declinatur. Igitur etiam jus belli & hostilitatis ad jura indefinita pertinent.

DCV. Datur proin jus ad *qualemcunque violentiam*, sive in personam lædentis, sive in ejus res & jura, quæ porro invadere & auferre, suaque facere *bellica occupatione* licet, si nimirum justii belli scopus, id est, mali præteriti satisfactio, mali præsentis depulsio, a malo futuro securitas, aliter nequeat obtineri, atque in hac postrema specie etiam *Jus puniendi* cum Jure belli conjunctum est. *cf. D. August. Caus. XXIII. Q. 2. c. 2.*

DCVI. Qui hosce limites excedit, ex bello justo ad bellum injustum quidem transit; at tamen, quum arduum sit in hypothesi hos terminos definire, *quantitas & qualitas violentiæ pro fine consequendo necessariæ in foro externo judicio læsi relinquuntur.* Siquidem ratione facti difficile est, quod vere justum est, ab eo, quod tale videtur, discernere. *Androm. Rhod. Paraphr. L. 1. c. 3. p. 10.*

DCVII. Quoniam qui ex alterius infelicitate voluptatem capit, is eum odit, & est ei inimicus, justus hostis autem non lædentis malum, sed declinationem læsionis intendere debet, patet, prohibitum esse odium ejus, qui
læ-



læsit, prohibitam *vindictam*, quo nomine veniunt actus, quibus male alicui ideo tantum facimus, quia male nobis fecit.

DCVIII. Quod enim malum alteri inferre liceat, est exceptio a lege propter collisionem officiorum, quæ collisio locum habere nequit cum actionibus animi internis, siquidem actus hostilitatis tantum externi sunt, & salvo amore hostium possunt exerceri. Quare sapienter dicebant Sogdiani Alexandro, *nunquam se inimicos ei, sed bello lassitos, hostes fuisse.* Curt. VII. c. X.

DCIX. Ex hisce principiis quævis species obvenientes declarandæ sunt. Ita quisque jus habet *in culpatae tutelæ*, hoc est, defendendi vitam, corpus, membra, pudicitiam etiam cum nece adgressoris, quando inutile foret mitius remedium; ad id enim nos ducunt, cum innati naturæ stimuli, tum rectæ rationis dictamen, quod nos docet, posita collisione impossibilem esse præcepti de conservando proximo custodiam. *v. Cic. pro Mil. IV.*

DCX. Nec refert adgressorem dementem vel furiosum esse & a culpa immunem; jus enim se defendendi non ex alterius malitia, sed ex obligatione & jure se conservandi, derivatur. Ast si quis fuga sibi plene posset consulere, tunc nulla adest collisio, neque jus ad adgressoris necem; fuga igitur arripienda est, quæ non est turpior, quam si quis rabidum canem, aut belluam evitaret.



DCXI. Si tales obveniant circumstantiæ, in quibus vel æquale, vel majus bonum esset a defensione abstinere, tunc non est præcepta, sed jam *permissa*, jamque *prohibita* sui defensio, nisi quod summa *perturbatio* aliquam sæpe excusationem præbeat. Ast si levis tantum sit injuria, veluti alapa, ea mediis lenioribus arceri potest; injusta ergo esset aggressoris occisio, nisi vim majorem adferat. *cf. Grot. L. II. c. I. §. 1. seqq.*

DCXII. Occisio calumniatoris ad famam defendendam medium aptum non est, quia judicium aliorum de perfectione, vel imperfectione nostra propterea in melius non mutatur, sed potius in deterius; jus igitur ad occidendum calumniatorem nemini competit, sed aliis mediis famam oportet tueri, & quidem vel *factis*, si quis ita se gerat, ut ostendat falsa dixisse maledicum, vel *verbis*, si hujus fidem labefactet, & mendacii arguat. Omnis autem injuriæ *Retorsio*, cum maledicta maledictis rependuntur, vindictam sapit, adeoque legi naturali repugnat. *v. Grot. L. II. c. I. §. 10. n. 3.*

DCXIII. An res & jura etiam armis & internectione aggressoris tueri liceat, a quibusdam dubitatum, quod 1.) nulla proportio sit inter res unius, & vitam alterius, dein 2.) res nostras alterius vitæ servandæ causâ ultro dare obligemur. Enimvero qui res aufert, is & media adimit, quibus vita toleretur, quorum



rum si injusta esset defensio, tunc justa foret ablatio. Neque opus est, ut proportio inter damnum & malum læso intentandum servetur, sed inter damnum, & medium necessarium pro defensione; quæ si pro rebus minoribus esset vetita, audaciores quotidie fierent fures.

DCXIV. Quamvis vero mediorum usus a cujusvis judicio pendeat in foro externo, charitati tamen & æquitati naturali repugnaret, si, deficiente licet omni alio medio, quis ob rem, qua carere posset, quamque ad salvandos alios ipse vi beneficentiæ gratis dare teneretur, occideret fugientem furem. Quare defensio externe justa, non statim etiam interne justa dici potest. *Matth. V. v. Grot. I. c. II. §. 13.*

DCXV. Quia jus præveniendi est facultas moralis injuriam quamcunque imminentem vi repellendi, hoc etiam competit, si vita, corpus, aut res nostræ in præsens & certum discrimen deducantur; si enim malum tantum metuamus, aut *suspiciemur*, id est, confuse ex levibus & dubiis argumentis nobis repræsentemus, tunc cum malum, tum jus nostrum defensionis incertum est; nulla igitur adest justa satisque idonea belli causa. *cf. Xenoph. de Exp. Cyr. L. II. c. 5.*

DCXVI. Si vires læsi juri persequendo impares sint, poterit illas cum aliorum viribus conjungere, hoc est, de *auxilio bellico* sibi prospicere, & quia quisque alios adjuvare imper-



fecte saltem obligatur, cuique etiam jus est præstandi auxilia, antequam illa speciali pacto promittantur. Neque enim quisquam id posset promittere, cujus præstandi facultatem moralem antecedenter non haberet, adeoque per pactum solummodo jus permissivum in jus striete tale commutatur.

DCXVII. An autem quis alteri promittere auxilia possit, id cujusque iudicio relinquendum est, & ideo quilibet homo naturaliter jus habet sequendi *neutras partes*. Ceterum, qui iniusti hostis est auxiliator, is ejus vires in lædendo auget, fit lædens, atque hostis, hinc poterit is quoque hostili jure censerī.

DCXVIII. Facultas physica a facultate morali est prorsus distincta: evenit porro sæpe, ut in pugnando majore facultate physica polleat, qui caret morali, & vicissim. Proin *Victoria*, sive is belli exitus, quo *quantitas physica unius hostis efficit, ut alter resistere amplius nequeat*, juris argumentum non est, nec ullum datur jus *victoriæ*, nisi transactio, seu pactum pacis accesserit, quod quum sit servandum, patet dari etiam *pacta valida, quæ vi & metu sunt extorta*.

DCXIX. Pugna inter duos determinata, qui conveniunt certo loco, tempore, & modo se dimicare velle, ut per victoriam lis dirimatur, *Duellum* dicitur. Est itaque duellum cum proximo vitæ & membrorum periculo tam lædenti, quam læsi copulatum, hinc medium ineptum litis finiendæ; sed si dubia sit causa, erit



erit ex datis supra principiis utrinque injustum.

DCXX. Si autem causa sit certa, injustum tamen erit ex parte ejus, qui læsit, quod novam intentet læsionem, & ex parte ejus, qui fuit læsus, quod moderamen excedat inculpatae tutelæ, causam justam & vitam alex committat sine necessitate, atque alia aptiora & tutiora media ex odio hostis & vindictæ studio negligat.

DCXXI. Neque obstat, bella licere inter gentes, quæ personas induunt morales; siquidem jus belli non est in eo positum, ut incerto prælio juris nobis competentis decisio committatur, sed ut *media quæcunque idonea*, tam in res, quam in personam omni loco & omni tempore omnique modo impendantur. Sane si quis animo duelli alterum invadit, quum natura quisque se tueri possit, ubi hic se defendit, duellum non est. *

DCXXII. Hæc jure naturali satis sunt perspicua. Fuere tamen, qui defensionem violentam legi evangelicæ repugnare opinati sunt propter loca. *Matth. V. 39. Ne obsistite injurioso; si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram; atque Rom. XII. 19. Non vos defendentes charissimi*, aliaque similia.

DCXXIII. Enimvero Evangelium vult alios a nobis diligi, æque ac nosmetipsos, non

M 4

au-

* Cf. P. Gerdil. *Traité des Combats singuliers*, Turin. 1760. 8.



autem magis, ipsique Apostoli gladio utebantur. * Nec negotium faciunt objecta loca. Siquidem *D. Matthæus* tam de levi injuria loquitur, quam illa, quæ futura esset religionis causa, *D. Pauli* autem verba tantum ad vindictam pertinent; sunt enim sic vertenda: *Vos non ulciscentes*, quemadmodum contextus docet.

CAPUT XXIV.

De societate generatim.

DCXXIV. Quoniam in statu naturali conato quisque perfectæ suæ obligationi satisfacit actionibus negativis, sive abstinentia ab alterius læsione, evidens est, ut durante primæva hac æqualitate, ac libertate, in qua eadem erant omnium jura, ac obligationes, nemo *jus perfectum* habeat in actiones aliorum positivas, & quæ in faciendo consistant. Quare si nobis competant hujusmodi jura, necesse est, ea hypothetica esse, atque superaddita.

DCXXV. Nihil acquiritur sine sufficiente titulo ac modo, ergo nec *jus perfectum* & affirmativum in personas. Modus autem acquirendi originarius ad res, quæ nullius sunt, pertinet. Ex quo fit, ut homines, qui naturaliter jura habent æqualia, *jus* in alios homines perfectum & affirmativam non ad-
qui-

* Cf. *Grot. l. c. III. s. 3.*

quirant, nisi modis derivativis, pacto scilicet, vel lege, quibus porro & *tò unius* in *tò alterius* transfertur, & primæva naturalis libertas, sive independentia, & æqualitas limitatur.

DCXXVI. Quum status, in quo duo vel plures finem aliquem communem obtinere conantur, *societas* generatim dicatur, inde consequitur, ut in omni societate opus sit, *α*) communi aliquo fine, *β*) unione quadam voluntatum, quæ ad illum tendant, *γ*) unione virium, sive mutuo adiutorio, *δ*) negotiis socialibus, quibus socii tanquam mediis, ad scopum propositum utantur.

DCXXVII. Et quia societas particularis & adventitia est status, in quo homo jus perfectum & affirmativum in hominem habet ad communem finem conjunctis viribus obtinendum, jura autem affirmativa in personas vel pacto, vel lege acquirantur, in promptu est, cur societas in *pactitiam*, sive *voluntariam*, & *legalem*, seu *necessariam* dividatur.

DCXXVIII. Uti jura & fines sociorum sunt diversissimi, ita & societates in plurimas abeunt formas; sed quia lex non præcipit, nisi, quod bonum est, pacta vero irrita sunt, si facultas paciscendi moralis desit, conficitur, societates veri nominis justas & licitas esse debere, non vero illicitas & injustas.
L. 57. D. pro soc.

DCXXIX. Quæcunque autem sit societas, focii qua tales unam voluntatem habere, &



conjunctis viribus ad eundem finem contendere debent, & idcirco quædam obligationes, & quædam jura cujuslibet societatis propria cogitantur. Et jam tenemus causam, cur omnis societas tanquam una *persona moralis* respiciatur; quæ ratione aliorum, qui de societate non sunt, jura sua naturalia libertatis & æqualitatis facta recta retineat.

DCXXX. *Salus societatis est non impeditus progressus ad ejus finem consequendum, ipse autem finis quatenus obtinetur, commune bonum dicitur; quamobrem quilibet socius communi bono studere obligatur ex fine & pacto societatis æstimando, ita quidem, ut in societate voluntaria, in qua jura & obligationes sociales pacto extendi vel restringi possunt, primario pacti, dein finis socialis in subsidium dumtaxat sit habenda ratio.*

DCXXXI. *Inde autem colligimus principium cognoscendi jura & obligationes sociales esse societatis finem; omnes vero leges sociales in illa universali propositione contineri: Fini societatis convenienter vivas.*

DCXXXII. *Qui jura non competentia sibi in alium adrogat, vel qui impedit, quo minus homo jura etiam acquisita exercere possit, fit lædens; igitur socii duplici se lædunt modo, I. si unus majora prætendat jura, quam ex fine & pacto societatis fuerunt translata, aut II. si alter alterum in exercitio jurium*



concessorum impediatur, & sic suæ obligationi haud satisfaciat.

DCXXXIII. Atque in utraque specie, si res in abstracto spectetur, habet læsus jus cogendi lædentem, ut læsio cesset, vel etiam discedendi a societate; fieri tamen potest, ut vi pacti, vel finis societatis alia ratio & modus fuerit determinatus, quo quisque socius jura sua persequatur, qui porro erit etiam servandus.

DCXXXIV. Libertas sociorum naturalis quoad eas tantum actiones diminuitur, circa quas vi societatis obligationem contraxerunt, contra vero in iis, in quibus ut socii spectari nequeunt, ipsis adhuc status ac libertas naturalis remansit; quare socii in negotiis, in quibus ut socii considerari non possunt, invicem jure utuntur naturali, & bono etiam proprio privato licite invigilant.

DCXXXV. Si contingat officia socii erga se ipsum cum officiis erga societatem collidi, posteriora præferre oportebit, quia bonum majus bono minori, & bonum totius bono partis præponderat, eaque est naturæ Auctoris voluntas, ut ad id semper, quod perfectius est, enitatur.

DCXXXVI. Et sane qui in societatem coiverunt, id etiam polliciti sunt; nam sic malum certum, quod erat positum in insufficientia ad finem, cum malo incerto atque remoto commutarunt; denique, si socius bonum
pro-



proprium bono communi anteferet, obligationem socialem perfectam violaret, ac jus belli tribueret focis, inde vero majoris adhuc infelicitatis periculum subiret.

DCXXXVII. Leges sociorum eo non pertingunt, ut aliquid contra officia Deo debita præcipere valeant; eo igitur in casu officia erga socios non præirent.

DCXXXVIII. Societas, quæ ex aliis societatibus tanquam partibus coaluit, est *composita*, sin minus, *simplex*; igitur sicut focii se habent ad suam societatem simplicem, ita se habent societates simplices ad compositam, & hinc membra societatis simplicis obligata sunt, 1.) ut actiones suas ad commune bonum societatis compositæ dirigant, 2.) ut in collisione boni societatis simplicis cum bono societatis compositæ illud tanquam medium huic veluti fini postponant.

DCXXXIX. Porro societas sine imperio est *æquatoria*, *æqualis*, cum imperio *rectoria*, *inæqualis*, igitur in societate inæquali adest dependentia ab alterius arbitrio, sive *subjectio*, nec non *inferior*, sive subditus.

DCXL. Quia in societate æquali non est imperium, negotia socialia ex natura societatis & ex communi voluntate determinari debent; quam quum in singulis negotiis obtinere sit difficillimum, consequens est, ut ab ortu societatis tam media, quæ semper eodem modo ad finem societatis requiruntur, quam va-



lidum consentiendi modum, in reliquis negotiis nondum determinatis, communi voluntate definire oporteat.

DCXLI. Quia vero impossibile est de omnibus futuris circumstantiis cogitare, quotiescunque novæ emergunt species, quæ pro bono societatis decidendæ sunt, opus est, ut id consensu omnium, ad normam antea statutam, sufficienter declarato perficiatur.

DCXLII. Declaratio voluntatis socii facta societati de eo, quod communi consensu definiri debet, *votum dicitur vel suffragium*. Estque 1.) vel affirmativum, vel negativum, 2.) vel categoricum, vel conditionale, 3.) vel expressum, vel tacitum, 4.) vel deliberativum, vel decisivum. Et prout vel omnes socii idem volunt, vel vero dissentiunt, vota quoque sunt 5.) vel unanimia, vel diversa, hæc autem 6.) majora, minora, paria.

DCXLIII. Quando socii votis inter se collatis determinant, quid fieri, vel non fieri debeat, tunc *concludunt*, unde intelligitur, unanimia semper concludere, nunquam paria, nisi antea esset definitum, ut unius personæ votum vincat, aut ut valeat *calculus Minervæ*. Secus rem vel forte decidere, vel si res moram ferat, novam consultationem instituere licebit.

DCXLIV. In societate una est voluntas, quæ quum per plura motiva determinetur, in dubio vota majora concludere debent, ut res in-



veniat exitum, nisi aliter ab initio placuerit, veluti ut adsint duæ tertiæ. Et quia unusquisque suum iudicium pro meliori & veriori habet, vota non ponderare, sed numerare necesse est.

DCXLV. Si tres vel plures sociorum sint sententiæ, & curandum sit, ut negotium finiatur, illa vota plus valere debent, quibus pauciora adversantur, & quum sequi non liceat, quod plurimis placet, id erit sequendum, quod displicet paucioribus. Quod si rem, in qua fundamentum habet societas, non omnes æqualiter participant, vota erunt æstimanda in ratione ejus, quod unusquisque participat, tunc enim unus pro pluribus sociis computatur.

DCXLVI. Qui votum ferre *non potest*, is jus non habet exercendi suffragium; & qui *non vult*, siquidem præsens sit, expresse ei renuntiat, si autem absens, renuntiat tacite, nisi id alteri committat; igitur jus absentium præsentibus adcrefcit.

DCXLVII. Leges sociales præscribunt media in finem communem idonea. Igitur 1.) nulla societas sine legibus stare, & nullius salus sine legum custodia conservari potest. 2.) Singulus quisque socius tenetur universis legibus societatis parere. 3.) Quicumque recipitur in societatem, se hujus legibus submittit, vel expresse, vel tacite.



DCXLVIII. Pactorum valor pendet a contra-
hentium voluntate, si igitur societas sit me-
re pactitia, poterit illa vi libertatis naturalis
sociales leges tollere, mutare, aliasque sur-
rogare, & ita singuli quidem focii legibus
obligantur, non autem universi; quare etiam
a societate, sive ad certum tempus, sive ad
dies vitæ inita, communi consensu recedere
poterunt.

DCXLIX. Atque hoc de societate æquali. Quæ
vero societatis inæqualis jura sint & obligatio-
nes, hisce positionibus includimus. I. Im-
perans habet jus perfectum determinandi
actiones permissas subditorum, sive *potesta-*
tem, ex fine tamen & pacto dimetiendam.

DCL. II. Huic potestati porro parendi ob-
ligatio correlata est, ne secus inutile sit impe-
rium, & ideo cessat libertas naturalis quoad
actiones, in quas imperanti qua tali jus com-
petit. III. Potest igitur imperans subditis le-
ges ferre, & media omnia ad finem hunc ne-
cessaria adhibere, hinc leges sanctione pœnali
munire. Sed, quia tamen harum legum vis
ab ejusdem pendet arbitrio, illas etiam muta-
re & tollere potest, atque adeo ipse ab earum
obligatione est immunis.

DCII. IV. Non autem eidem licet leges
alias condere, quam pro bono societatis com-
muni, nec leges conventionales pacto consti-
tutas violare. V. Qui se subjicit ad tempus,
is libertatem tantum suspendit, qui vero pro
sem-



semper imperio se submittit, libertatem alienat. VI. Quum pacta sint servanda, nec imperans indistinctim se abdicare imperio, nec subjectus se ei subtrahere poterit altera parte invita.

DCLII. Imperium, quod solummodo natura & essentia societatis restringitur, est *absolutum*, quod vero etiam ab accidentalibus pactis accipit modum, *limitatum*, seu *temperatum* vocatur; quod si in actiones permissas omnes subditorum atque eorum res competat, est *despoticum*.

DCLIII. Unum despoticum imperium ab altero haud differt specie, in eo enim subditis nil pro bono privato facere licet; sed differt *limitatum*, infinita enim sunt pactorum genera, quæ translationi imperii adjici possunt. Et quia in imperio *temperato* non omni renuntiatur libertati, societas hujusmodi quoad ea, quæ juri imperantis non subsunt, ut societas *æqualis* quidem spectanda est, modum tamen, qui ab initio placuit jus suum persequendi, societas partialis egredi non potest.

DCLIV. Nulla cadit obligatio in actiones physice vel moraliter impossibiles, ergo nec *imperium*, quorsum & actiones mere internæ pertinent, si de hominis imperio sit sermo. Porro imperium in actiones tantum permissas se exserit, nequaquam vero id jus est de vita & substantia subditorum disponendi pro arbitrio, igitur a *dominio* imperium distingui debet.

DCLV.



DCLV. Si subditus obligationi non satisfacit, imperantem lædit, dat itaque illi jus cogendi & malum cum actione injusta copulandi, quod *pœna* est strictius sumpta. Hæc ad omnes læsiones tam dolosas, quam culpofas pertinet, non vero ad eas, quæ nequeunt imputari.

DCLVI. Societas est persona moralis, quæ ratione non sociorum originetenus statu naturali utitur; itaque non modo juribus universalibus, veluti conservationis, æqualitatis, independentiæ, sed etiam particularibus & acquisitis gaudet, eaque, ut reliqui homines, mediis proportionatis tueri potest.

DCLVII. Quemadmodum societas pacto, vel lege nititur, ita iisdem modis cessat, si nimirum desinat legis & obligationis ratio, aut nexus pactitius dissolvatur.

CAPUT XXV.

De societate conjugali.

DCLVIII. A jure sociali generatim ed examen specialium societatum transimus, quæ quoniam sunt innumeræ, hic non nisi de tribus simplicibus I. *conjugali*, II. *parentali*, III. *herili*, dein IV. de una, quæ ex his nascitur, *composita*, familiæ scilicet, seu *domestica* pro instituto nostro agemus; ut postea civitatis obligationes penitus suo tempore intelligi possint.



DCL X. Intendit sapientissimus naturæ Auctor humani generis conservationem, idque corporis nostri structura, & inditi naturales stimuli satis testantur; quare ad fines ex rerum essentia fluentes, & ad corporis humani perfectionem, in consensu operationum cum ejus scopo positam, sobolis quoque propagatio pertinet. Igitur & sobolem procreare obligamur. v. Senec. Hyp. v. 478.

DCLX. Discimus ab experientia hancce procreationem fieri aliter non posse, quam a duabus personis diversi sexus, eam vero inutilem fore, nisi proles etiam educetur, hoc est: quum ob immaturam ætatem se ipsam perficere non valeat, ad id idonea efficiatur. Qui ergo sobolem tenetur procreare, ei etiam educandi, & porro voluntatem & vires in hunc finem cum persona diversi sexus conjungendi officium incumbit.

DCLXI. Conjunctio personarum diversi sexus procreandæ & educandæ sobolis causâ inita est *matrimonium*; qui sunt in matrimonio *conjuges*, & conjux mas *maritus*, conjux femina *uxor* adpellantur.

DCLXII. Est igitur matrimonium 1.) *status*, jura enim & obligationes peculiare complectitur, 2.) in quo *persona in personam jus competit affirmativum*, ad gignendam scilicet & educandam prolem, 3.) & *perfectum*, ex pacto nimirum ortum, nec enim jus imperfectum sufficeret, ut *ad alterius in usus nostros*

con-



convertere liceret; 4.) ad *finem communem consequendum*, qui est speciei conservatio. Nullum porro est dubium, matrimonium esse *societatem, eamque licitam honestamque.*

DCLXIII. Quum prima illa naturæ sint medium ad humani generis conservationem ducens, *scortatio*, & omnis *libido vaga*, quæ sensualem voluptatem unice pro fine habet, obligationi naturali & finibus divinæ voluntatis repugnat manifestissimis. Atque inde moralitas *concupinatus*, prout vel matrimonii vel scortationis induit naturam, determinari debet.

DCLXIV. Matrimonium est societas simplicissima & relata ad totum genus humanum simul sumtum *necessaria*, quatenus vero præceptum est affirmativum, quod requirit occasionem, veluti res ad numerosam aliquando sobolem sustentandam, & sæpe etiam in cœlibatu perfectio hujus universi, & divinæ gloriæ manifestatio nunc æque bene, nunc melius quoque obtineri potest, eatenus pro singulis hominibus necessaria dici nequit. Sed & eo sensu, quo cum certa persona consentiente contrahi debet, pactitia est & *voluntaria.*

DCLXV. Uti conjugum jura, ita obligationes sociales, quæ ex ipsa societatis natura & scopo cognoscuntur, sunt eadem, uni porro pro suo arbitrio alterius conjugis actiones determinare non licet. Itaque matrimonium est



focietas æqualis, nisi alterutra pars speciali pacto, sive expresse, sive tacite, imperium obtineat. Quod enim ajunt, majorem esse maris dexteritatem & prudentiam, id fallit sæpenumero; dein hoc aptitudinem tantum daret imperii, non jus perfectum.

DCLXVI. Contrahitur matrimonium pacto valido, itaque qui ob mentis defectum, ob ætatem, vel ob corporis impedimentum pacisci, aut procreare sobolem nequit, ejus nuptiæ irritæ sunt.

DCLXVII. Porro qui errore, aut dolo substantiali, & in ipsam personam cadente ad matrimonium inducitur, aut vi injusta compellitur, ex pacto suo obligatus non est; quin potius illi contra metum inferentem, aut fraudatorem, jus læsi in lædentem competit. Attamen convalesceret conjugium hoc invalidum accedente partis læsæ ratihabitione.

DCLXVIII. Pactum de matrimonio ineundo sunt *sponsalia*; fluit igitur ex doctrina pactorum I. ut sponsalia promissionem efficaciter acceptatam requirant, hinc ex tractatu præparatorio, aut consensu ambiguo, aut sponsalitia largitate non nascantur; II. ut pure, vel conditionate, expresse, vel tacite; per se, vel per procuratorem celebrari possint.

DCLXIX. III. Ut si jam conjugatus promittat sponsalia, aut alius, qui pacto implendo par non est, nullam obligationem producant; IV. ut sponsalia priora posterioribus derogent
etiam



etiam juratis, & quidem præscindendo a jure positivo, licet his nuptiæ jam accesserint; V. ut denique sponsus & sponsa perfecte obligentur inire nuptias, & ad id cogi possint etiam invitæ, vel saltem ad pœnam, ne matrimonia prorsus coacta infaustos exitus fortiantur. VI. Ast recedere licebit a sponsalibus, *repudium dare*, iis ex causis, ex quibus aliud pactum, & speciatim pactum sociale dissolvitur.

DCLXX. Societas conjugalis, si inter duas tantum personas ineatur, est *Monogamia*, si inter plures simul, *Polygamia* simultanea; hæc vero, si vir plures habet uxores, *Polygynæcia*, si uxor plures viros, *Polyandria* dicitur.

DCLXXI. Polyandriam simultaneam ipsi legi naturali repugnare inde satis evincitur, quia incertus foret pater, & naturalis deesset ad educandum stimulus; dein quum femina non nisi ex uno mare concipere valeat, reliquæ conjunctiones omnes nullo bono fine cohonestari possent, sed essent libito vaga; quod ipsum in promiscua cohabitatione obtinet.

DCLXXIII. De Polygynæcia major est disputatio. Nam & vir ex pluribus simul uxoribus prolem procreare, & proles tamen certa esse, hinc finis matrimonii impleri adhuc potest. Porro & sanctos viros in antiquo Testamento plures simul feminas duxisse notum est, Deo id plene permittente; quod non ac-



cidisset, si polygynæcia juri naturali, quod immutabile est, prorsus repugnaret.

DCLXXIII. Quia tamen tales plerumque obveniunt circumstantiæ, ut & pax domi & procreatio liberorum & educatio difficilior reddatur, immo idem fere marium & feminarum numerus in lucem veniat, eam legi naturali *hypotheticæ* contradicere facile largimur. v. *Matth. XIX. & I. Cor. VII. 12.*

DCLXXIV. Quidquid ad procreationem sobolis necessarium est, & quod maritus & uxor specialiter pacti sunt, id conjugalis officii est mensura. Igitur obligantur conjuges simul cohabitare, rem familiarem & domestica negotia communiter gerere, ab omni commixtione cum persona extranea, seu ab *adultério* abhorreere.

DCLXXV. Tenentur proin matrimonii simul ferre onera, victum, amictum & habitationem, sive *alimenta* liberis conjunctim præstare. Quia vero specialis in hac societate persona eligitur, hæc obligatio est mere personalis, quæ nimirum alii cedi, aut transmitti nullo modo potest.

DCLXXVI. Præter facultatem physicam in nuptiis etiam facultas moralis attendi debet, quæ an sit inter omnes personas sanguine conjunctas, disputatur. Est autem consanguinitas *connexio personarum, quatenus a communi causa, seu procreatore & stipite descendunt, orta,*



ta, quæ si ex maribus profluat, *Agnatio*, si ex feminis, *Cognatio* in specie dicitur.

DCLXXVII. *Causa rei proxima* est vel *remota*. Ita si *A* ponat *B*, & ex hoc veniat *C*, quod sit iterum *causa D*, tunc *D* *causam proximam* seu in gradu primo habet in *C*, *remotam* in gradu secundo in *B*, & in gradu tertio in *A*. Quilibet igitur actus *causandi* dat *determinatum connexionis gradum*, unde nata regula, *quot sunt actus causandi, tot sunt gradus connexionis in serie causarum efficientium atque effectuum, sive tot sunt consanguinitatis gradus, quot sunt generationes.*

DCLXXVIII. *Series personarum ab eodem stipite descendendum* dicitur *Linea*, & quidem *recta*, si contineat personas, quarum una alteram genuit, *secus collateralis, seu obliqua.*

DCLXXIX. Est porro *linea recta ascendens*, si ad *genitores, patrem, avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, majores: descendens*, si ad *genitos, filium, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, trinepotem, posteros, respiciatur.* Itaque in *linea recta* ita fit *graduum computatio*, ut *tot sint gradus, quot personæ una demta.*

DCLXXX. In *linea collateralis* sunt *personæ*, quæ a *communi quidem stipite descendunt*, sed quarum una alteram non *procreavit.* Ut igitur a latere *junctos concipiamus*, duæ *assumi debent lineæ rectæ in communem adsurgentes stipitem*, & ad se *invi-*



cem relatæ: hæ vero sunt *æquales*, si in uno latere idem adsit graduum numerus, ac in altero, *inæquales*, si numerus ille graduum sit diversus.

DCLXXXI. Quum res diversæ signis etiam diversis sint exprimendæ; ideo effectus proximi procreantium *fratres & sorores* se invicem adpellant, unde fratris vel sororis filius, nepos, pronepos &c., fratris & sororis filia, neptis, proneptis oriuntur.

DCLXXXII. Duplex autem est ratio gradus computandi in linea obliqua; vel enim retinetur prior regula, ut *tot sint gradus, quot in ambabus lineis sunt personæ una demta*, vel vero quoniam, collaterales, ideo tantum sibi sunt connexi, quia communem habent stipitem, unicum potius erit considerandum latus, ut nimirum a latere juncti, *eodem gradu sint inter se consanguinei, quo vel uterque in linea æquali, vel remotior in linea inæquali distat a communi stipite*.

DCLXXXIII. Necessitudo inter conjugem unum, & alterius conjugis consanguineos est *adfinitas*, in eo fundata, quod, quum conjuges connexi sint, etiam alterutrius conjugis propinqui cum altero conjugate connexi videantur; ita quidem, ut quo gradu quis uni conjugi est consanguineus, eodem gradu sit alteri adfinis; quapropter inter consanguineos mariti, & consanguineos uxoris nulla est adfinitas.

DCLXXXIV.



DCLXXXIV. Matrimonia cognatorum in linea recta ideo a plerisque damnari solent, quod pudorem naturalem ubique gentium incutiunt, dein adfinitatum diffusionem inhibent, & ob ætatis disparitatem, sterilitati & malæ procreationi sunt obnoxia.

DCLXXXV. Magis vero ostenditur eorum turpitude, si cogitemus amorem conjugalem sine certa quadam conjugum æqualitate atque ingenuitate mutua consistere non posse, quibus tamen consueta parentum auctoritas & naturale imperium magnopere adversantur; præcipue vero quod filialis reverentia & subjectio per tales nuptias facillime posset excludi. Earum contractus ergo prohibitus esse debet, siquidem legis naturalis & immutabilis violandæ apertam occasionem suppeditat.

DCLXXXVI. Hæc ratio non obtinet pro ceteris consanguineis in linea obliqua; dubitare porro non licet, quin inspecta sola naturæ lege valida sint eorum connubia; quum tamen perpetua harum personarum familiaritas & conversatio inhonestas consuetudines gignere posset, si sperarentur nuptiæ; sufficiens adest fundamentum, cur graviter illæ interdicanter.

DCLXXXVII. Societas conjugum in se est necessaria, & sola personæ determinatio a voluntate contrahentium pendet; igitur ejus dissolutio solo conjugum dissensu semper fieri



nequit. Quin quum ambo educare liberos naturaliter teneantur, & mutuuum sibi adiutorium præstare, quod sine constanti amoris & amicitia vinculo foret exiguum, atque ingratiſſimum, naturale est, ut societas conjugalis individuam vitæ consuetudinem contineat. *L. I. D. de R. N.*

DCLXXXVIII. Enimvero tales sæpe obveniunt circumstantiæ, in quibus *divortium*, quoad vinculum, hoc est, dissolutio matrimonialis societatis vivis conjugibus facta, nec procreationi, nec educationi repugnat; veluti si alterutra pars sterilis esset, aut liberi vel mortui forent, vel jam educati, aut si ob violatam fidem conjugalem, vel morum crudelitatem; nullam sperare liceret conciliationem: & tunc solo rationis lumine haud adparet caussa, omnimodam dissolutionem denegandi. *

CAPUT XXVI.

De societate parentum & liberorum.

DCLXXXIX. Nisi spem eventus fallat, societatem conjugalem consequuntur liberi, qui homines sunt, hinc jure connato ad res vitæ necessarias instructi, adeo tamen imbecilles, ut per se ipsos hoc jus exercere nullo modo valeant.

DCXC.

* Ast ea denegatur jure divino positivo. *v. Deut. XXIV. & I. Cor. 7. v. 13. Juncto Matth. V. 32. & XIX. 9.*



DCXC. Eorum igitur educationem primo commendant parentibus naturales stimuli, seu *vox naturæ*, quæ vox Dei est, dein finis matrimonii eandem exigit; porro ad illam conjuges perfecte obligantur cum pacto conjugali, tum jure connato liberorum, quod violant parentes efficiendo, ut nati liberi rebus necessariis destituantur.

DCXCI. Qui obligatur ad finem, ei jus ad media convenientia denegari nequit: quum igitur pater & mater teneantur liberos educare, ac porro efficere, ut adolescant, & ipsi sibi de rebus necessariis prospicere, atque actiones suas legi naturali conformare valeant; competit quoque parentibus jus actiones liberorum, quamdiu hi officio suo satisfacere nequeunt, determinandi. Atque hoc jus est, quod *parentalem potestatem* adpellamus.

DCXCII. Nascitur potestas parentalis ex obligatione educandi, hæc autem a naturaliis est imposita, qui liberos *genuerunt*; igitur hoc sensu Grotius non inepte* parentum jus in liberos a *generatione*, scilicet ut a fundamento mediato, derivavit.

DCXCIII. Non autem opus est cum Pufendorfio** recurrere ad socialitatem, vel ad pactum præsumtum cum liberis; nam socialitas jus educandi omnibus tribueret, & pactum præsumtum sola fictione nititur. Absurde

* Del J. B. & P. II. c. V. n. 1.

** Off. H. & C. II. c. 3. s. 2.



de autem scribit Hobbesius * *filium matris esse jure occupationis ea lege factæ, ut filius non evaderet hostis, sed obediret; nec enim liberi res nullius sunt, sed juribus sibi connatis fruuntur. v. Val. Max. VII. 7. 2.*

DCXCIV. Quum soboles sit educanda, & juribus gaudeat connatis, habet sine dubio jus in *vita & corporis sui conservationem*: adeoque potestas parentalis ad illas tantum actiones pertinet, quæ salva prolis conservatione fieri possunt; non igitur ea comprehendit jus educationi contrarium, veluti liberos necandi, aut de vita & membris ipsorum pro lubitu disponendi, nec concipi tanquam dominium potest, quod in res tantum, non in homines adquiretur.

DCXCV. Extendit se educatio ad omnes illos actus, per quos liberi efficiuntur apti ad bene, beateque vivendum; itaque jus habent parentes & obligationem alendi & perficiendi liberos in anima, corpore & statu externo, adeoque eos instituendi in religione, scientiis, artibus, aliisque mediis, quibus vitam honeste tolerare possint. Quæ obligatio eatenus perfecta est, quatenus ea neglecta jus connatum liberorum violarent.

DCXCVI. Quare *Expositio* infantis, denegatio alimentorum, & omnis actio conjugis, qua corpus vel animus sobolis corrumpitur, non modo est alterius conjugis læsio, cui jus
in

* *De Civ. IX. 5.*



in mutuam adiutorium ad finem educationis vi pacti conjugalis fuerat translatum, sed etiam est læsio liberorum, qui non minus jus connatum habent & perfectum ad alimenta necessaria, quam ad avertendam sui occisionem. Cf. L. 4. D. de agn. & al. lib.

DCXCVII. Salvum tamen est parentibus jus omnes sumtus, pretiumque operarum educationis repetendi, si liberi ad meliorem statum pervenerint, uti dictum est de istis, qui in extrema necessitate res accipiunt alienas.

DCXCVIII. Quamprimum liberi usum rationis nanciscuntur, actiones suas arbitrio genitorum determinare, & ita voluntatem & vires ad finem educationis conjungere debent; incipit porro tunc societas parentum & liberorum; seu parentalis, quæ est *Legalis*, & vel *Composita*, v. g. cum conjugali, vel alterutro deficiente conjugate, *Simplex*; dein *Inæqualis*, siquidem parentum potestas imperium est, cui dependentia liberorum, seu *subjectio filialis* correlata est.

DCXCIX. Ex natura imperii parentalis intelligitur, cur parentes vivendi normam liberis suis jure præscribant, eos obligent, & inobedientibus pro emendatione pœnas imponant; cur porro, quia nemo obligatur juvare illos, qui sibi ipsis sufficiunt, etiam operas liberorum in suam utilitatem convertere, easque cum sumtibus & operis educationis compensare possint; cur denique libe-



ri parentibus obsequi, & laborando alere egentes teneantur, ita ut nec pacisci sine consensu parentum, nec naturali imperio sese subtrahere iis liceat. v. Numer. XXX.

DCC. Quum possit socius salvo communi bono etiam utilitati studere privatæ, consequens est, ut liberis permissum sit sibi res & jura acquirere a parentibus haud violanda, postquam omnes educationis sumtus detraxere; nec enim parentes sunt veri liberorum domini, adeoque cessat hic regula, accessorium ejus esse, ad quem principale pertinet.

DCCI. Homines, qui nec de alimentis sibi prospicere; nec proprias actiones ad futuram felicitatem soli dirigere possunt, naturaliter sunt *Impuberes*, qui ad utrumque sunt idonei, *Majoremnes*, qui ad unum tantum, *Minoremnes* vocantur.

DCCII. Durat igitur obligatio educandi, & hinc imperium parentale usque ad majoremnitatem; quam si attingant liberi, cessat societatis legalis finis, & ipsa hæc societas definit. Etsi reverentiæ, & gratitudinis obligatio perpetuo permaneat.

DCCIII. Actus, quo proles parentali potestate dimittitur, est *Emancipatio*; quoniam societas parentum & liberorum est legalis, naturaliter emancipatio a sola genitorum voluntate haud pendet.

DCCIV. Minoremnes satis se dirigere, aut saltem se ipsos alere nequeunt, igitur arcedi



di sunt a societate conjugali, in qua liberis alimenta, & informatio debetur. Quare nuptiæ a minorenni invitæ parentibus contractæ irritæ sunt, sed valebunt a majorenni celebratæ, nec enim bono societatis amplius sunt oppositæ, etsi officio interno gratitudinis repugnare aliquando possint.

DCCV. Sunt, qui societatem parentalem etiam finita educatione perdurare arbitrantur. Quidquid enim, ajunt, factæ meo justo produco, illud fit meum acquisitum, sed pater & mater sunt concausæ efficientes sobolis tamquam effectus communis eo animo, ut sit sua; itaque eam, quam producant, indistinctim adquirunt. Ast regula hæc obtinet tantum circa res nullius, & quæ proprietatis sunt capaces, quæ in liberos non cadit. Quid? quod filii sæpe contra voluntatem, & scopum genitorum procreantur, animam vero, quæ propria hominis natura est, immediate a Deo accipiunt.

DCCVI. Parentalis potestas fundatur saltem mediate in generatione; & ab insitis naturæ stimulis temperamentum accipit; igitur proles nullius patrium imperium agnoscere debet, quam eorum, a quibus vitam accipit: quæ ratio, quum in alio obtinere nequeat, parentes suam potestatem in alios transferre non possunt, quippe, quæ mere personalis est, & ideo liberi respectu extraneorum libertate naturali utuntur.

DCCVII.



DCCVII. Possunt tamen parentes, qui egeni sunt, vel aliter impediti, exercitium educationis aliis permittere, quod enim quis per alium facit, per se videtur fecisse, & tunc haud læduntur liberi, sed magis perficiuntur. Quum igitur, qui educant, vices subeant parentum, & vel mandatarii sint, vel negotiorum gestores, quænam sint eorum jura & obligationes, ex dictis haud difficulter erui potest.

DCCVIII. Speciatim *Tutores* dicuntur, qui impuberes parentibus destitutos, seu *Pupillos* educant, quæ *societas tutelaris* cessabit simul, ac pupillarem statum pupilli sunt egressi, & se ipsos per ætatem tueri valent.

DCCIX. Posita eadem ratione idem rationatum poni debet. Quum jus parentale in generatione, & debito educandi fundatum sit, utraque autem hæc causâ in patre æque ac matre obtineat, evidens est, potestatem in liberos utrique parenti naturaliter esse communem, alterutro autem mortuo ad superstitem devolvi, seu ei adcrefcere; ast modus, quo potestas ab uno vel ab altero exerceatur, pacto etiam tacito determinari potest.

DCCX. Ceterum, quum mater semper certa sit, pater autem aliquando incertus, quoniam in jure idem est, non esse & non adparere, naturale est, ut si soboles extra matrimonium fuerit suscepta, partus ventrem sequatur. v. L. 24. D. de stat. hom.



CAPUT XXVII.

De societate herili.

DCCXI. Operæ nostræ suum valorem habent, certoque pretio æstimari possunt. Si quis igitur aut debito, quod pacto vel læsione contraxit, satisfacere, aut necessaria alimenta sibi comparare aliter nequeat, quam ubi creditori, vel alere volenti, operas domesticas pro sustentatione præstiterit, nulla dubitatio est, quin ad eas præstandas per propriam suam salutem obligetur, quum nec creditor jus suum adquisitum remittere, nec quisquam homini ad laborem idoneo victum, & amictum gratis præbere teneatur.

DCCXII. Qui jus habet perfectum operas ab homine exigendi pro alimentis, *herus* est, vel *hera*, & qui in eo vivit statu, ut operas ita præstare obligetur, est in *servitute* late sumpta, *servus*, sive *famulus*, vel ancilla.

DCCXIII. Patet vero inter herum & famulum intercedere societatem, quæ jam *simplex* est, jam *composita*, semper vero *inæqualis*. Siquidem singula operarum genera, vel saltem species determinare pendet ab arbitrio heri, cui porro potestas, seu imperium *herile*, in operarios sibi subiectos competit.

DCCXIV. In omni famulatu cogitari durabilis aliqua permutatio potest, seu contractus *facio, ut des, vel do, ut facias*, igitur *quantitas* & *qualitas* operarum & alimentorum, adeo-

O

que



que heri ac famuli jura & obligationes ex ipsa conventionem saltem tacita definiri debent.

DCCXV. Quod si pro alimentis certa substituatur pecuniæ summa, tanquam eorum æquivalens atque mensura, nascitur locatio & conductio operarum, quarum pretium eminens, quia mercedis venit nomine, etiam qui pro ea operas præstant, famuli vel servi *mercenarii* vocantur.

DCCXVI. Prout operæ vel *perpetuæ* debentur, vel *temporariæ*, dein vel *omnes*, vel tantum *certi generis*, etiam servitus vel *limitata* est, minus plena, imperfecta, vel *illimitata*, plena, perfecta atque *obnoxia*.

DCCXVII. Qui operas perpetuas & omnis generis debet, servus est strictè talis; ejus herus dicitur *despota* vel *dominus*, jus enim habet de ipsa operarum substantia & consecrariis disponendi; ut porro servus nec sibi adquirere quidquam, nec alteri se obligare domino invito amplius possit. Ex quo, quid sit *servitus* strictius accepta, quid *societas despotica*, seu *dominica* non obscure intelligitur.

DCCXVIII. Societas herilis, in quam quis sua tantum sponte se addicit, est *ultronea*, quæ vero vi & metu justo contrahitur, est secundum quid *coacta*, utraque tamen pactum aliquod involvit, sine quo unio voluntatum, & unio virium atque obsequium exularet.

DCCXIX. Itaque manifesta sunt hæc enuntiata: I. naturaliter nulla datur *coacta* servitus,



tus, sed primum posita læsione, II. secus homo serviret quidem majoris mali vitandæ causâ, non tamen esset in servitute justa.

DCCXX. III. Qui hominem justa vi comprehensum sive *mancipium* detinet in compedibus, vim infert physicam, quæ non cadit in voluntatem, talis igitur status societas nondum est. * IV. Bello captus non statim cogi ad servitutem potest, sed solummodo, si factam læsionem aliter non velit, vel non possit reparare.

DCCXXI. In eo autem servitus ultronea differt a coacta, quod quum prior pacto celebretur, non majus jus transferatur in dominum, quam servus se transferre velle declaravit; contra quia posterior jure belli extorquetur, jus includit indefinitum, quodque judicio victoris determinari potest.

DCCXXII. Igitur servus ultroneus, qui specialem elegit personam domini, & obligationem inivit mere personalem, in alios transmitti nequit, nisi tacite saltem in id consentiat; ast juste alienari poterit *mancipium*. Atque ob has ipsas causas nec servo in sui locum alium domino servum obtrudere unquam licebit.

DCCXXIII. Si servus obnoxius & ultroneus incidat in morbum, ut laborare amplius nequeat, dominus tamen perfecte obligatur ei victum & amictum præbere; is enim perpetuam alimentorum certitudinem cum obliga-

O 2

tio-

* Cf. Hobb. de Civ. VII. §. 4.



tione ad omnes operas physice & moraliter
possibiles contractu quasi aleatorio commuta-
vit; quæ ratio, quum non obtineat in man-
cipio, nec in servo minus pleno, eis tantum
favor necessitatis, si expositis, vel derelictis
esset pereundum, suffragatur, & jus perfec-
tum in res necessarias tribuit.

DCCXXIV. An autem *vernæ*, seu proles ex
ancillis natæ ad dominum ancillæ spectent,
gravis quæstio est. Adfirmat Pufendorfius *
quod 1.) par sit fructum corpus sequi, 2.)
quod proles nascitura non erat parentibus a
domino jure belli occisis, 3.) quod sumptibus
domini alatur.

DCCXXV. Enimvero proles nec pacto, nec
læsione se ad servitutem obligavit, pater au-
tem dominium, quod ipse non habet, aut jus
parentale, quod mere personale est, non
potuit in herum transferre; igitur dominus
per servum non nisi exercitium patriæ pote-
statis acquirit, & jus in operas pro alimentis,
quæ porro ubi persolverit soboles, libertati
erit restituenda. *v. Grot. II. c. V. §. 29. n. 2.*

DCCXXVI. Falsum vero est, partum ho-
minis unquam in fructu esse; falsum quoque,
eum, qui mei nativitatem non impedit,
quum posset, ideo jus domini in me nanci-
sci. Itaque firmum manet nullam dari natu-
raliter originariam servitutem.

DCCXXVII.

* *De Off. H. & C. L. II. c. IV. §. 6.*



DCCXXVII. Servus est homo, omnia igitur humanitatis officia eidem sunt exhibenda, est juribus perfectis connatis instructus, & hinc statum quidem aliquem moralem habet atque personam; sed quum omnia jura domino acquirat, ratione status adscititii persona recte ei denegatur.

DCCXXVIII. Quare, quæ apud plerasque gentes dominis in servos vitæ necisque potestas fuit, nisi ad statum collisionis referatur, cum scilicet servus animum induit hostilem, nec alius eum coercendi patet modus, omnino injusta est, & naturæ societatis repugnat; hæc enim tendere debet ad commune bonum, nec ullo pacto jus legibus naturalibus contrarium in dominum transferri potuit. Et inde liquet, cur servus contra dominum, qui injustam necem inferre paratus est, jure se tueatur.

DCCXXIX. Licet tamen domino servos inobedientes, vel erroneos, donec præsent, quæ præstare obligati sunt, punire, persequi fugitivos & ab iis, qui servos forte corruperint, debitam petere damni reparationem. Et quia læsio, quam superior infert inferiori, *gravamen* vocatur, etiam servus jus habet postulandi a domino, ut gravamen cesset, & si immanis fuerit domini sævitia, domo excedere potest.

DCCXXX. De damno, quod servus sine ulla domini culpa intulit tertio, ardua est con-



troverfia, an illud dominus refarcire, & fervum extradere teneatur. Nos utrumque negamus, quia 1.) damnus is tantum refarcit, qui illius cauffa est phyfica, vel moralis, 2.) fervum vero retinens dominus jure fuo utitur, & in pari cauffa melior ejus conditio effe debet tamquam poffefforis.

DCCXXXI. Quid enim 3.) fi fervus extraditus alium iterum læderet? nulla fane effet fufficiens ratio, cur fecunda vice læfus præferatur, igitur maneat ftatim penes primum dominum; ne fecus 4.) innocens herus folus pœnam fentiat, quam fervus factò fuo promeritus eft; quocirca fufficiet talem fervum caftigare. *vid. Grov II. c. XVII. §. 27.*

DCCXXXI. Ita corruit Pufendorffii * argumentum: dum ait, fervus homo eft, ergo obligatur damnus datum refarcire. Nam debet læfionem refarcire ex τω fuo, non ex re Domini, cujus funt operæ. Quare data ratio non aliud evincit, quam quod, fi fervus aliquid a domino tanquam proprium obtineat, vel liber fiat, damnus reparare teneatur.

DCCXXXIII. Urgent: obligationem reparandi damnus effe connatam, igitur fervum cum hoc onere ad dominum transfire; aft obligatio hæc eft adventitia, & fupponit factum læfionis; onus ergo reparandi damni ad dominum tunc folum transfiret, fi fervus quemquam læfiffet ante fervitutem.

DCCXXXIV.

* *De Off. H. & C. L. I. c. VI. §. II.*



DCCXXXIV. Nec magis obstat, quod addunt 1.) qui sentit lucrum, eum sentire damnum debere; 2.) jus defensionis dari etiam in servum, ergo & jus satisfactionis, secus 3.) servum posse alios lædere impune.

DCCXXXV. Nam α) dominus lucrum sentit ex operis servi licitis, & ex illis etiam damnum patitur, neutrum vero ad eum pertinet ex operis illicitis. Dein β) læsus potest se defendere contra lædentem, ast dominus in nostra specie lædens non est. Denique γ) nec ideo servus manet impunitus, tenetur enim dominus illum coercere, ne alias factum læsionis adprobare videatur.

DCCXXXVI Quoniam servitus societas est, etiam modi, quibus societates finiuntur, huc applicari possunt. Speciatim vero finitur 1.) *manumissione*, quæ est actus, quo dominus servo jus operarum ex liberalitate & gratia condonat, quod facere utique potest. 2.) *exilio*, si dominus inobedientem servum per modum pænæ expellat, eumque cogat a familia abire. Utroque casu dominus juri suo renuntiat. *v. Hobbes. VIII. §. 9.*

CAPUT XXVIII.

De domo seu familia, & successionis jure.

DCCXXXVII. Si societas conjugalitatis, paterna & herilis, vel duæ saltem ex his invicem conjungantur, fit societas composita, quæ



domus aut *familia* dicitur; *Familia*e socii sunt I. *pater* & *materfamilias*, scilicet conjuges, parentes & heri. II. dein *liberi*, seu filii & *filiæfamilias*, *famuli* & *servi*, hique communi *domesticorum* nomine veniunt.

DCCXXXVIII. Omnis societas proprium suum finem habet, igitur & *domus*, quæ societas est composita, & a societatibus simplicibus quasi totum a suis partibus distincta ad peculiarem quemdam scopum collineare debet.

DCCXXXIX. Hic scopus, quoniam ex aliis duobus aut etiam tribus finibus simplicibus coalescit, alius esse nequit, quam ut simplex quævis societas omnium reliquarum finem magis promovere, & singularia onera mutuo auxilio sublevare teneatur. Et inde etiam perfectio, salusque domestica prodibit. Ceterum per se patet, socium partis etiam totius socium saltem tacite fieri, & hinc duplicis generis jura & obligationes adipisci.

DCCXL. In domo vel 1.) societas conjugalis cum parentali, & herili simul, vel 2.) conjugalis tantum cum parentali, aut 3.) tantum cum herili, vel 4.) parentalis sola cum herili reperitur; itaque *domus* omnis est societas rectoria atque inæqualis, in qua tam superiores, conjuges, parentes, heri, quæ patres & matresfamilias, quam inferiores, filii-familias, servi que continentur. Ex quo colligitur, liberos non esse servorum dominos,

&



& non nisi parentum auctoritate iisdem imperare. *Plaut. Trinum. Act. II. Sc. II. v. 48.*

DCCXLI. Quoniam pater & mater familias sunt familiæ capita & imperantes, jusque in suos liberos, immo etiam in servos mutuo consensu adquisitos inter se commune habent, consequens est, ut naturaliter æquales sint, & unam moralem personam constituent; fieri tamen potest, ut tota potestas ad unum tantum spectet, si altera pars moriatur, aut ipsis id pacto expresso vel tacito placuerit.

DCCXLII. Imperans in domo jure perfecto gaudet I. leges, sine quibus nulla societas esse potest, promulgandi, II. præmia vel pœnas statuendi, ac III. distribuendi, IV. dispensandi, V. legesque, obvia in societate contingentes, abrogandi, tum VI. leges naturales magis determinandi, VII. pœnas mutandi, VIII. & eas remittendi, quatenus melior expletio finis in societate œconomica id postulat.

DCCXLIII. Potest porro IX. fines societatum simplicium, ex quibus societas conflatur, connectere, & relationem earum ad se invicem determinare. X. in casu collisionis facere exceptionem. XI. definire proedriam & alias prærogativas; XII. actiones subditorum dirigere, ut sint media ad securitatem in familia obtinendam, & hinc modum, quo bella orta gerantur, definire.



DCCXLIV. Denique ejusdem est XIII. petere a subjectis, ut actionum suarum rationem reddant, & *ordinem*, qui est similitudo in ratione, qua plura conjunguntur, constanter observent. Hisce autem juribus perfectæ domesticorum obligationes ad præstandum obsequium correlatæ sunt.

DCCXLV. Ceterum mutua quoque patris ac matrisfamilias inter se officia ex salute rei familiaris determinari debent: quare peccant familiæ capita, si alter alterius auctoritatem imminuat, si educationi liberorum, aut fervorum correctioni sive incuria, sive malo exemplo injiciat impedimentum, si denique crudelitatem liberorum in servos, aut fervorum nequitiam, qua liberorum mores corrumpunt, impunem esse patiantur.

DCCXLVI. Superest, ut de successionis jure, quod magnam partem in notione familiæ fundamentum habet, ultimo agamus. Universitas rerum tam corporalium, quam incorporalium, seu *bonorum*, in *sensu juridico*, ab aliquo adquisitionum est ejus *patrimonium*; patrimonium a defuncto relictum dicitur *hereditas*, jus proprium hereditatem in *τὸ suum* recipiendi, est *jus hereditarium*, & qui eo gaudet, *heres* nominatur.

DCCXLVII. Cuilibet licet de suo patrimonio pro lubitu disponere; igitur potest illud tam in præsens, quam in futurum, tam pure, quam conditionate & speciatim sub condi-



ditione vel mortis, vel simul non revocatæ voluntatis, alicui polliceri.

DCCXLVIII. Promissio seu declaratio expressa, qua dominus sub duplici conditione mortis, & non revocatæ voluntatis bonorum suorum heredem instituit, siquidem nuda sit, vocatur *Testamentum*, si vero acceptatio accesserit, fit *Pactum successorium*, vel revocabile, vel irrevocabile, prout vel una, vel utraque conditio fuerit adjecta. Ex quo conficitur eum, qui promittere potest, posse etiam testari, & pacta successoria inire.

DCCXLIX. Posito pacto successorio alter paciscens alterius patrimonium in *τὸ suum* recipit sub conditiooe & in diem; ad illud porro jus aliquod perfectum habet.

DCCL. Quod si nuda sit promissio, sive *testamentum*, competit tamen heredi jus voluntatem declaratam acceptandi; quod non commune est, sed ipsius proprium; quare ei jus hereditarium, quod est jus proprium, hereditatem in *τὸ suum* recipiendi a die mortis & conditione non factæ revocationis suspensum, ei nequit denegari.

DCCLI. Mortuo testatore ipsa bona hereditaria nullius sunt propria; quum tamen heres institutus jus præcipuum, ac proprium habeat, illa in *τὸ suum* recipiendi, pertinent bona ad res *jacentes*, quas occupare reliquis non licet; siquidem heredem in juris singularis, ac proprii exercitio turbarent.

DCCLII.



DCCLII. Sunt igitur testamenta *juris naturalis* eo sensu, ut *habita defuncti dispositione reliqui homines teneantur a defuncti bonis abstinere*. Ita, ut heres ex testamento post mortem testatoris pro jure hereditario conditionato & revocabili jus hereditarium purum, plenum, & irrevocabile nanciscatur.

DCCLIII. Quoniam facultas testandi ex illimitato domini jure arcessitur, dubium non est, quin, qui testari, atque heredem facere potest, ei etiam liceat, secundum aut tertium heredem nominare in casum deficientis primi, hoc est, *substituere*, dein ipsum heredem rogare, ut totam hereditatem, vel ejus partem restituat tertio, id est, *fideicommittere*, porro aliquid ex eo, quod universum heredis foret, in tertii cujusdam utilitatem delibare, sive alicui *legare*.

DCCLIX. Quæ vero & quanta heredis, vel legatarii, qui non concurrit, portio accedat concurrenti, seu adcreseat, id ex regulis interpretandi voluntatem loquentis desumendum.

DCCLX. Si nulla expressa dispositio defuncti de suo patrimonio reperiatur, quisque id voluisse censetur, quod naturæ est maxime congruum ob jus connatum bonæ existimationis, igitur is fit heres, quem defunctus *per naturam* maxime amare debuit.

DCCLXI. Qui enim alterum diligere obligatus est, eum etiam juvare tenetur, quantum



cum fieri potest, & hinc bona, quibus amplius non indiget, ei relinquere; huic speciali obligationi jus quoque singulare correlatum est, bona in *τὸ suum* recipiendi, quod jus *hereditarium* diximus; dein hæc bona non pro nobis tantum, sed etiam ad alios juvandos comparamus, quem vero juvare volueris, id etiam ex factis declarari potest. Cf. *Grot. II. c. VII. §. 3.*

DCCLVII. Obligatio parentum liberos maxime juvandi, & quidem perfecta respectu alimentorum, tam ex facto generationis, quam ex naturæ stimulis satis manifestatur, igitur defunctis parentibus naturale est, succedere filios, filiasque, & quidem in *capita*, id est, in portiones viriles, quum eadem pro omnibus naturæ ratio obtineat. v. *L. 7. D. de bon. damnat.*

DCCLVIII. Quod si patri aut matri præmorianur filii, vel filiæ, horum jus hereditarium ad sobolem transmittitur, quæ porro suum patrem vel matrem *repræsentat*, atque hocce repræsentationis jure succedit avo vel aviæ in partem, quam parentes habuissent, sive in *stirpes*.

DCCLIX. Si nulli adsunt *descendentes*, naturale est, hereditatem defuncti *adscendentibus* deferri, sunt enim hi maximi liberorum benefactores, atque ideo maximum amoris gradum, seu conatum perficiendi promerentur.



DCCLX. Et quia parentes, qua tales, unum sunt, etiam jus iisdem competens est indivisibile, quare proximior adscendens semper excludit remotiorem, & si omnes fuerint remotiores, hi non in *Capita*, sed in *Lineas* vocantur.

DCCLXI. Pater igitur & mater avos excludunt; quod si soli avi adsint, linea paterna medietatem, & linea materna aliam medietatem acquirit, etsi in una linea unica persona, veluti avus tantum, in altera avus & avia reperiantur.

DCCLXII. Qui a latere junctos perficit, is id præstat, quod communis stipes præstare fuisset obligatus, adeoque ipsi communi stipiti re ipsa gratiam rependit; quare deficiente stipite, nil magis naturæ consentaneum est, quam ut eos in primis juvemus, quibus opem ferre debuisset stipes; hic enim jus suum hereditarium ad proprios descendentes transmisit, & ideo frater defuncti ejusdem avum excludit.

DCCLXIII. Aliquando contingit defuncto nec descendentes, nec collaterales superesse, tunc ergo is jure hereditario gaudet, cum quo defunctus in proxima vixit societate, quia socius alterius socii commoda promovere obligatur, & quidem maxime, quando nulli amplius consanguinei supersunt. Jam per se patet, *conjuges* in proxima societate esse

se



se constitutos, his igitur post consanguineos proxime hereditas defertur.

DCCLXIV. Jus hereditarium sæpe transmitti aliis posse visum est, fieri ergo potest, ut conjux ad personas sibi sanguine junctas jus suum derivet, & inde colligitur jus succedendi propter *Adfinitatem*.

DCCLXV. Ex dictis intelligitur ordinem successionis naturalis esse sequentem: ut veniant I. descendentes non indistinctim, sed immediati & primi gradus in capita, mediati in stirpes. II. Ascendentes primi gradus seu pater & mater, dein III. fratres, & qui ab his progeniti sunt. IV. Familia avorum, id est, avus, avia, tum patruus & matertera. V. Familia proavi, hinc abavi, atavi &c. VI. Conjuges, VII. Adfines, VIII. alii focii, prout quisque est proximus.

DCCLXVI. Duplex itaque est modus, quo intelligitur hereditas *delata*, quam scilicet quis possit acceptando consequi: unus ex *testamento*, alter ab *intestato*; ac uterque quidem maximo nititur defuncti amore, & conatu alterum perficiendi usque ad extremum vitæ spiritum producto.

DCCLXVII. Quum tamen alter ex ipsa fluat rei natura, alter vero ex facta declaratione voluntatis, tamdiu successio naturalis ac legitima ab intestato præsumi debet, donec probetur testamentaria, quæ est hypothetica. Secus enim heres legitimus justa
igno-



ignorantia se tueri potest. L. 39. D. de A. v.
O. H. L. 151. D. de V. S.

DCCLXVIII. Requisita testamenti ejus *solemnia* vocantur, & quidem *interna*, si ad ejusdem *essentiam*, *externa* vero, si ad probationem spectent.

DCCLXIX. Ex quo conficitur, ut sufficiens declaratio voluntatis vel viva voce, vel scripto facta internam solemnitatem constituat, solemnitas autem externa, vel in scriptura testatoris satis recognita, & a suspicione vis ac metus libera, vel in depositione testium, qui de voluntate defuncti idoneam faciant fidem, reperiatur. Quare sine solemnibus testamenti tam internis, quam externis heres ab intestato haud excluditur.

DCCLXX. *Exhereditatio* est actus, quo is, qui successisset ab intestato, per expressam testatoris voluntatem jure hereditario privatur. Hæc naturali amoris contraria est, adeoque non nisi propter collisionem majoris cujusdam amoris adventitii licita fieri potest.

DCCLXXI. Quia tamen amor coactionem non patitur, inique exhereditatus testamentum nequit impugnare; aliud foret, si exhereditatio cum violatione juris perfecti fuisset facta, ubi nimirum vel jam pactum adest successorium, vel liberi aliqua adhuc educatione indigent; tunc enim hi portionem bonorum ad id requisitam jure petere possunt, quæ dicitur *legitima*, & illi partem conventam vindicant,



DCCLXXII. Jus hereditarium est jus proprium bona defuncti in *tò suum* recipiendi; hanc voluntatem qui declarat verbis, dicitur hereditatem *adire*, qui factis, *se pro herede gerere*; non ante igitur acquiritur hereditas, utpote res jacens, quam ubi aditio, vel pro herede gestio intervenerit. Et si vero tunc heres fiat hereditatis dominus, tamen possessionem non nisi actuali adprehensione nanciscitur.

DCCLXXIII. Sunt itaque hæ regulæ juris naturalis: I. Qui usu rationis caret, ipse hereditatem adire nequit. II. Aditio fieri potest etiam per mandatarium. III. Qui pacto est heres, nova non indiget acceptatione. IV. Quod ajunt: hereditas non adita non transmittitur, verum est in successione testamentaria, non autem in legitima, in qua transmissio ab ipsa lege fit.

DCCLXXIV. Heres succedit in omnia jura & obligationes transmissibiles defuncti, quæ scilicet non sunt mere personales, & ideo una videtur esse cum defuncto moralis persona. Sed quia is obligationes contrahit, quatenus est hereditatis dominus, naturaliter non tenetur ultra vires hereditarias, nec legatis onerari magis, quam fuit honoratus, potest. *L. 9. C. de Fid.*

DCCLXXV. Quemadmodum hereditatem adire, ita eandem *omittere*, seu *repudiare* heres potest, siquidem cuique liberum est juri suo permissivo renunciare. Quod si quis eam nec



repudiare nec tamen adire velit, poterit proxime successurus primi heredis voluntatem exquirere, & si nulla detur sufficiens ratio protractæ aditionis, ipse vi naturalis substitutionis hereditatem adire, idque eodem jure, quo officia innoxia utilitatis negativa postulantur.

DCCLXXVI. Infirmatur autem naturaliter testamentum variis de causis, I. si desit sollemnitas vel interna, vel II. externa, III. si vivus testator mutaverit voluntatem, IV. si portio lege perfecte debita cuidam non sit relicta, V. si testator venerit in servitutem obnoxiam, denique VI. si heres hereditatem repudiet. Juris civilis auctores primum testamentum dicunt *nullum*, secundum *injustum*, tertium *ruptum*, quartum *inofficiosum*, quintum *irritum*, sextum *destitutum*.

DCCLXXVII. Sunt, qui doctrinam successionum totam adscribunt juri positivo. Adjunt enim, 1.) mortuo domino res esse derelictas, 2.) atque nullius, & ideo primi occupantis fieri, 3.) dominium nostris usibus esse concessum, adeoque cum vita interire; 4.) nec ostendi momentum & modum posse, quo illud in heredem testamentarium transferret, cujus 5.) voluntas cum defuncti voluntate nunquam conjungatur.

DCCLXXVIII. Nihil igitur 6.) detrahi de jure alterius per occupationem patrimonii a defuncto relicti; 7.) quod vero sæpius id minus



nus æquum videatur, propterea non statim a justitia discedere, & 8.) saltem successione testamentariam principiis de successione legitima stabilitis repugnare.

DCCLXXIX. Enimvero 1.) bona non derelinquit, qui ea in alterum transferre vult, 2.) quæ porro non sunt simpliciter nullius, sed jacentia; 3.) etsi vero dominium post mortem cesset, vivus tamen dominus de rebus disposuit, quas etiam in alienum impendere erat obligatus, 4.) transit autem jus hereditarium conditionatum in heredem statim a declarata voluntate testatoris modo derivativo, 5.) nil autem obstat, quin voluntas nunquam revocata, etiam post mortem dicatur durare.

DCCLXXX. 6.) Quapropter, qui hereditatem acceptare volenti adfert impedimentum, turbat jus illius proprium, & 7) hinc non iniquus modo est, sed etiam injustus, 8.) denique successio legitima jure naturæ quidem præcepta est, attamen propter collisionem aliter aliquando disponere domino permittitur. Ceterum quoniam admittunt adversarii imperantem in majoribus societatibus leges succedendi statuere posse, quoniam ex fundamento hanc facultatem familiæ capiti, eique, qui nullius alterius hominis arbitri) subjectus est, abjudicabunt?

FINIS.





